BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
17 — G
20

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTÆ

DISSERTATIONES POLEMICÆ AD TRACTATUM DE TRINITATE.

TOMUS SECUNDUS.

ROMÆ cIɔ.Iɔcc.LxxI.

Præſidum adprobatione.

Digitized by Google

DISSERTATIONES
TOM. II.

I. De Unitate Dei adversus Marcionem.

II. De Personarum Divinarum Trinitate contra Sabellianos &c.

III. De Divinitate Verbi adversus Arianos.

IV. De Hæresi Macedonianorum.

V. De Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio adversus Photium, aliosque Græcos Schismaticos.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Pal. Apoſtol.

D. Jordani Patr. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchini Ord. Præd.
Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Digitized by Google

DE
UNITATE DEI
DISSERTATIO.

DEI UNITAS ADVERSUS MARCIONEM VINDICATUR.

§. I.

UNum Deum eſſe demonſtrat adverſus Marcionem S. Irenæus, lib.3. adverſus Hæreſes, cap.63. *Marcion igitur ipſe*, inquit, *dividens Deum in duos, alterum quidem bonum, alterum judicialem dicens, ex utriuſque interimit Deum. Hic enim qui judicialis, ſi non & bonus ſit, non eſt Deus; quia Deus non eſt, cui bonitas deſit; & ille rurſus qui bonus, ſi non & judicialis, idem quod hic patietur, ut auferatur ei ne ſit Deus. Quemadmodum autem & ſapientem dicunt Patrem om-*

Digitized by Google

nium, ſi non & judiciale ei aſſignent? Si enim ſapiens, & probator eſt; probatori autem ſubeſt judiciale; judiciale autem aſſequitur juſtitiam; ut juſte probet juſtitiam, provocat judicium: judicium autem cum ſit, cum juſtitia tranſmittet ad ſapientiam.

Et cap. 45. Platonem Hæreticis *Religioſiorem* fuiſſe ait, *qui eumdem Deum juſtum & bonum confeſſus eſt.*

Et lib.4. cap.26. *In Lege igitur & Evangelio, cum ſit primum, & maximum præceptum, Diligere Dominum Deum ex toto corde: debinc ſimile illi, Diligere proximum ſicut teipſum, unus & idem oſtenditur Legis & Evangelii Conditor. Conſummatæ enim vitæ præcepta in utroque Teſtamento cum ſint eadem, eumdem oſtenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utriſque præcepit: ſed eminentiora & ſumma, ſine quibus ſalvari non poteſt, in utroque eadem ſuaſit.* Alia apud Irenæum luculentiſſime contra Marcionis errorem ſcripta paſſim occurrunt, quæ hic referre brevitatis cauſſa omittimus.

II. Adverſus Marcionem Dei unitatem vindicavit egregie Tertullianus. Lib. 1.cap.3. probat unum Deum eſſe, quia Deus eſt ſummum magnum: ſumma autem magna duo eſſe non poſſunt. „ Quantum, inquit, humana con„ditio de Deo definire poteſt, id definito, „ quod & omnium conſcientia agnoſcet, Deum „ ſummum eſſe magnum, in æternitate con„ ſtitutum, &c. Quæ erit jam conditio ipſius ſum-

,, ſummi magni? Nempe ut nihil illi adæque-
,, tur, id eſt, ut non ſit aliud ſummum ma-
,, gnum; quia ſi fuerit, adæquabitur; & ſi
,, adæquabitur, non erit jam ſummum ma-
,, gnum. Ergo unicum ſit neceſse eſt, quod
,, fuerit ſummum magnum, par non habendo,
,, ne non ſit ſummum magnum... Proinde
,, Deus, cum ſummum magnum ſit, recte
,, veritas noſtra pronuntiavit: Deus ſi non unus
,, eſt, non eſt.

Cap.5. Probat plures Deos admitti poſse, ſi duo prædicentur.,, Quæ ratio, inquit, duo
,, ſumma magna compoſuit? Primo enim exi-
,, gam cur non plura, ſi duo? Quando locu-
,, pletiorem oporteret credi ſubſtantiam divini-
,, tatis, ſi competeret ei numerus.

Cap.7. Occupat reſponſionem Marcionitarum dicentium, pluribus tribui Dei nomen in Scripturis, qui non ſint ſumma magna; unde ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat: &, Ego dixi, Dii eſtis; Ita nec ſequi Creatorem eſſe ſummum magnum, quia Deus eſt. Sic porro ipſis reſpondet:,, Si communio nominum conditio-
,, nibus præjudicat, quanti nequam ſervi Re-
,, gum nominibus inſultant Alexandri, & Da-
,, rii? Nec tamen ideo Regibus id quod ſunt
,, detrahetur. Nam & ipſa idola gentium,
,, Dei vulgo; ſed Deus nemo, ea re qua Deus
,, dicitur. Ita ego non nomini Dei, nec ſono,
,, nec notæ nominis hujus, ſummum magnum
,, in Creatore defendo, ſed ipſi ſubſtantiæ cui

 ,, no-

„ nomen hoc contigit. Hanc inveniens ſolam, „ innatam, infectam, ſolam æternam, & univerſitatis conditricem; non nomini, ſed „ ſtatui, nec appellationi, ſed conditioni ejus „ ſummum magnum adſcribo & vindico „ Et hinc colligit duos Deos eſſe non poſſe, nec pares; nec diſpares: Non pares „ Quia id prohibet diſpoſita regula ſummi magni, comparationem non ſuſtinentis „ *Nec diſpares*; „ Quia & alia ſummi magni regula occurrit, „ diminutionem non admittentis.

Cap.8. Probat Deum Marcionis nullum eſse, quia novus eſt, & ante Jeſum Chriſtum, qui ipſum revelaverit, plane inauditus: Verus autem Deus, æternus eſt. „ Quis Deus novus, inquit, niſi falſus? Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, „ quia & illum novitas aliquando produxerit, „ cum primum conſecravit. At enim viva & „ germana divinitas nec de novitate, neç de „ vetuſtate, ſed de ſua veritate cenſetur. Non „ habet tempus æternitas: Omne enim tempus ipſa eſt. Quod facit, pati non poteſt, „ Caret ætate, quod non licet naſci. Deus, „ ſi eſt vetus, non erit; ſi eſt novus, non fuit, „ Novitas initium teſtificatur, vetuſtas finem „ comminatur. Deus autem tam alienus ab „ initio & fine eſt, quam a tempore, arbitro „ & metatore initii, & finis.

Verum quia reſpondebant Marcionitæ, Deum Marcionis ſola agnitione recenti novum eſſe, urget Tertullianus *cap.9*. opponitque primo,

mo: *Deum ignorari non potuiſſe, nomine magnitudinis; nec debuiſſe, nomine benignitatis.* 2. Oſtendit Deum incertum eſſe, ſi ignotus fuit: *Quod enim quæritur, quamdiu ignoratur, incertum eſt quamdiu quæritur: & poteſt non eſſe, quamdiu incertum eſt.* Verum Deum ab initio ſemper cognitum fuiſſe probat *cap.*10. „ A
„ primordio rerum, *inquit*, Conditor earum
„ cum ipſis pariter compertus eſt, ipſis ad
„ hoc prolatis ut Deus cognoſceretur... De-
„ nique major popularitas generis humani, ne
„ nominis quidem Moſis compotes, nedum in-
„ ſtrumenti, Deum Moſis tamen norunt, etiam
„ tantam idolatria dominationem obumbran-
„ te; ſeorſum tamen illum, quaſi proprio
„ nomine Deum perhibent, & Deum deorum;
„ &, Si Deus dederit; &, Quod Deo pla-
„ cet, &, Deo commendo. Vide an nove-
„ rint, quem omnia poſſe teſtantur. Nec hoc
„ ullis Moſis libris debent. Ante anima, quam
„ prophetia. Animæ enim a primordio con-
„ ſcientia Dei dos eſt: eadem, nec alia in
„ Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis. Ju-
„ dæorum enim Deum, dicunt animæ Deum...
„ *Et infra*, Habet Deus teſtimonia, totum
„ hoc quod ſumus, & in quo ſumus. Sic pro-
„ batur & Deus, & unus, dum non ignora-
„ tur; alio adhuc probari laborante.

Probat deinde Tertallianus cap. 11. Marcionis Deum commentitium eſſe, quia Deus omnium Dominus jure creationis eſse debet: Marcionis autem Deus nihil creavit: „ Sicut, *inquit*,

„ Creator, ex hoc & Deus, & indubitatus
„ Deus, quia omnia ipſius, & nihil extra-
„ neum illi: ita & alius idcirco non Deus,
„ quia omnia non ejus, ideoque & extranea.
„ Denique ſi univerſitas Creatoris eſt, jam
„ nec locum video Dei alterius. Plena & oc-
„ cupata ſunt omnia ſuo Auctore. Si vacat ali-
„ quid ſpatii alicujus divinitati in creaturis,
„ plane falſæ vacabit.

Secundo. Si Deus nihil condidit, ratio proferri debet aliqua cur nihil condiderit.„ Du-
„ plex iſta videatur neceſſe eſt, *inquit Tertul-*
„ *lianus*, ut aut noluerit condere quid, aut
„ non potuerit. Sed non potuiſse indignum
„ Deo eſt. Noluiſse, an dignum, volo in-
„ quirere ..... Quale eſt ut Creator quidem
„ ignorans eſse alium ſuper ſe Deum, ut vo-
„ lunt Marcionitæ, qui ſolum ſe etiam jurans
„ aſseverabat, tantis operibus notitiam ſui ar-
„ maverit, quam potuerat non ita curaſse, ſe-
„ cundum ſingularitatis ſuæ præſumptionem;
„ ille autem ſublimior ſciens inferiorem Deum
„ tam inſtructum, nullam ſibi proſpexerit agno-
„ ſcendo paraturam? Quando etiam inſigniora,
„ & ſuperbiora opera debuiſſet condidiſse, ut
„ Deus ex operibus cognoſceretur, ſecundum
„ Creatorem, & ex honeſtioribus potior &
„ generoſior Creatore.

Evincit poſtea Tertullianus, *cap.* 15. Deum Marcionis inviſibilium tantum opificem dici non poſse, quia idem viſibilium, & inviſibilium auctor eſt. „ Quis autem, *inquit*, poterit in-
„ duce-

„ ducere in animum , niſi ſpiritus hæreticus , „ ejus eſse inviſibilia , qui nihil viſibile præ- „ miſerit , quam ejus qui viſibilia operatus , „ inviſibilium quoque fidem fecerit : cum ju- „ ſtius multo ſit aliquibus exemplariis annuere, „ quam nullis ? . . . . . Sicut tota operatio ejus „ (*ſcilicet Creatoris*) ex diverſitatibus con- „ ſtat ; ex corporalibus , & incorporalibus ; „ ex animalibus , & inanimalibus ; ex vocali- „ bus , & mutis ; ex mobilibus , & ſtativis ; „ ex calidis , & frigidis : Sic & hominem ip- „ ſum diverſitas temperavit , tam in corpore, „ quam in ſenſu ; Alia membra fortia , alia in- „ firma ; alia gemina , alia unica ; alia com- „ paria , alia diſparia . In ſenſu nunc lætitia , „ nunc anxietas : nunc amor , nunc odium : „ nunc ira , nunc lenitas . Quod ſi ita eſt , ut „ æmula inter ſe conditionis univerſitas iſta „ modulata ſit : jam igitur & viſibilibus invi- „ ſibilia debentur , non alteri auctori deputan- „ da , quam cui & æmula eorum . „ Id eſt ſi idem eſt auctor contrariorum , & ſi diverſi rerum gradus ab eodem ſunt condita opifice;conſequens eſt,ut idem Deus ſit Creator viſibilium, & inviſibilium .

*Cap.*21. Dei unitatem traditionis auctoritate demonſtrat , quia temporibus Apoſtolorum nulla controverſia de Dei unitate excitata eſt , & fides de uno Deo , & quidem Creatore , ab Apoſtolis prædicata fuit , & in Apoſtolicis Eccleſiis ſemper conſervata . „ Nam , *inquit* , „ alii de Idolothyto edendo , alii de mulierum

„ velamento, alii de nuptiis, vel repudiis, „ nonnulli & de ſpe reſurrectionis diſceptabant; de Deo, nemo. Nam ſi fuiſſet hæc „ quoque quæſtio diſceptata, & ipſa apud Apoſtolum inveniretur, vel quanto principalis: „ *Id eſt quia longe majoris eſt momenti*. Quod „ ſi poſt Apoſtolorum tempora adulterium veritas paſſa eſt circa Dei regulam: ergo jam „ Apoſtolica Traditio nihil paſſa eſt in tempore ſuo circa Dei regulam; & non alia agnoſcenda erit traditio Apoſtolorum, quam quæ „ hodie apud ipſorum Eccleſias legitur. Nullam autem Apoſtolici cenſus Eccleſiam invenias, quæ non in Creatore chriſtianizet. „ Aut ſi hæ erunt a primordio corruptæ, quæ „ erant integræ? Nimirum adverſariæ Creatoris. Exhibe ergo aliquam ex tuis Apoſtolici cenſus, & obduxeris.

Capitibus 22. 23. & 24. Probat Deum Marcionis non eſſe naturaliter bonum, rationabiliter bonum, perfecte bonum, quia ab initio non eſt operata bonitas ejus, lapſum hominem erigendo. „ Non poſſe quid, *inquit*, Deo „ non licet, nedum, naturalibus ſuis fungi, „ quæ ſi continentur quominus currant, naturalia non erunt. Otium enim ſui natura non „ novit. Hinc cenſetur, ſi agat..... Sed „ ceſſavit aliquando in Deo Marcionis de opere bonitas. Ergo non fuit naturalis bonitas, „ quæ potuit aliquando ceſſaſſe, quod naturalibus non licet. Et ſi non erit naturalis, jam „ nec æterna credenda, nec Deo par, quia

„ non

„ non æterna, dum non naturalis; quæ deni-
„ que nullam ſuam perpetuitatem aut de præ-
„ terito conſtituat, aut de futuro repromittat.
„ Nam & a primordio non fuit, & in finem ſi-
„ ne dubio non erit. Poteſt enim & non eſſe
„ quandoque; ſicut non fuit aliquando. Igi-
„ tur cum conſtet in primordio ceſſaſſe bonita-
„ tem Dei illius, (non enim a primordio libe-
„ ravit hominem;) & voluntate potius eam,
„ quam infirmitate ceſſaſſe, jam voluntas ſup-
„ preſsæ bonitatis, finis invenietur maligni-
„ tatis. Quid enim tam malignum, quam nol-
„ le prodeſſe cum poſſis? . . . Quid de tali
„ medico judicabis, qui nutriat morbum mo-
„ ra præſidii; & periculum extendat, dila-
„ tione remedii, quo pretioſius, aut famo-
„ ſius curet? Talis & in Deum Marcionis di-
„ cenda ſententia eſt, mali permiſſorem, in-
„ juriæ fautorem, gratiæ lenocinatorem, be-
„ nignitatis prævaricatorem, quam non ſta-
„ tim cauſſæ ſuæ exhibuit.

*Cap.*23. Probat bonitatem Dei Marcionici eſſe irrationalem, quia hominem ab alio Deo creatum adjuvit. *Nego* inquit, *rationalem bonitatem Dei Marcionis jam hoc primo, quod in ſalutem proceſſerit hominis alieni*. Tunc occupat reſponſionem Marcionitarum, dicentium, hanc eſſe præcipuam & perfectam bonitatem, cum ſine ullo debito familiaritatis, in extraneos voluntaria, & libera effunditur, ſecundum quam inimicos quoque noſtros diligere jubeamur. Sic autem reſpondet Tertullianus:

 „ Cum

„ Cum prima bonitatis ratio ſit in rem ſuam „ exhiberi, ex juſtitia; ſecunda autem in alie- „ nam, ex redundantia: quale eſt ſecundam „ ei rationem referri, cui deficit prima, non „ habenti proprium hominem, ac per hoc exi- „ guæ? Porro exigua, quæ ſuum non habuit, „ quomodo in alienum redundavit? Exhibe „ principalem rationem, & tunc vindica ſe- „ quentem. Nulla res ſine ordine rationalis „ poteſt vindicari: tantum abeſt ut ratio ipſa „ in aliquo ordinem ammittat.

Irrationalem inſuper probat Dei Marcionici bonitatem, quia injuſta eſſet. „ Ceterum, „ *inquit*, qualis bonitas, quæ per injuriam con- „ ſtat: Quid enim injuſtius, quam ita alieno „ benefacere ſervo, ut Domino eripiatur; ut „ alio vindicetur; ut adverſus caput Domini „ ſubornetur? Et quidem, quo indignius, in „ ipſa adhuc domo Domini, de ipſius adhuc „ horreis vivens, ſub ipſius adhuc plagis tre- „ mens? Talis aſſertor etiam damnaretur in „ ſæculo; nedum plagiator. Non aliter Deus „ Marcionis, irrumpens in alienum mundum, „ eripiens Deo hominem, Patri filium, edu- „ catori alumnum, Domino famulum, ut eum „ efficiat Deo impium, Patri irreligioſum, „ educatori ingratum, Domino nequam. Oro „ te, ſi rationalis bonitas talem facit, qualem „ faceret irrationalis?

Oſtendit denique cap.24. Deum Marcionis non eſſe perfecte bonum, non ſolum quia longe pauciores ſalvat omnibus & Judæis, & Chri-

Chriſtianis Creaturis, ſed etiam quia ſolam animam ſalvat, non carnem. „ Sed nolo jam,
„ *inquit*, de parte majore pereuntium imper-
„ fectum bonitatis arguere Deum Marcionis.
„ Sufficit ipſos, quos ſalvos facit, imperfe-
„ ctæ ſalutis inventos, imperfectam bonita-
„ tem ejus oſtendere: ſcilicet anima tenus ſal-
„ vos, carne deperditos, quæ apud illum non
„ reſurgit. Unde hæc dimidiatio ſalutis, niſi
„ ex defectione bonitatis? Sed etſi carni de-
„ licta reputantur, præcedit animæ reatus, &
„ culpæ principatus animæ potius adſcriben-
„ dus, cui caro miniſtri nomine occurrit. Ca-
„ rens denique anima caro hactenus peccat.
„ Ita & in hoc injuſta bonitas, & ſic quoque
„ imperfecta; innocentiorem ſubſtantiam re-
„ linques in exitium; obſequio, non arbitrio
„ delinquentem.

Cap.26. Oſtendit Deum Marcionis nullum eſſe, quia non eſt juſtus, & vindex. „ At hic
„ ſufficit, *inquit*, perverſiſſimum Deum oſten-
„ di in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis.....
„ Quale eſt enim ut præcepta conſtituat, non
„ executurus? Ut delicta prohibeat, non
„ vindicaturus, quia non judicaturus? Extra-
„ neus ſcilicet ab omnibus ſenſibus ſeveritatis,
„ & animadverſionis. Cur enim prohibet ad-
„ mitti, quod non defendit admiſſum? Cum
„ multo rectius non prohibuiſſet quod defenſu-
„ rus non eſſet, quam ut non defenderet,
„ quod prohibuiſſet; immo & permiſiſſe di-
„ recto debuit ſine cauſſa prohibiturus, ut non

„ defenſurus. Nam & tunc tacite permiſſum
„ eſt, quod ſine ultione prohibetur: & uti-
„ que non aliud prohibet admitti, quam quod
„ non amat fieri... Stupidiſſimus ergo, qui
„ non offenditur facto, quod non amat fieri;
„ quando offenſa comes ſit fruſtratæ volunta-
„ tis, aut ſi offenditur, debet iraſci: ſi ira-
„ ſcitur, debet ulciſci. Nam & ultio fructus
„ eſt iræ; & ira debitum offenſæ. Sed non
„ ulciſcitur, ergo nec offenditur: Sed non of-
„ fenditur: ergo nec læditur voluntas ejus,
„ cum ſit quod fieri noluit. Et ſit jam deli-
„ ctum ſecundum voluntatem ejus: quia non
„ ſit adverſus voluntatem, quod non lædit
„ voluntatem.

Deum denique non timendum eſſe probat, ſi juſtus non ſit ac ſeverus, atque adeo ſecure & impune peccari poſſe. Et quia Marcionitæ reſpondebant malum Deum timendum eſſe, bonum diligendum dumtaxat: hanc reſponſionem ſic refellit Tertullianus: „ Stulte, quem Do-
„ minum appellas, negas timendum; cum hoc
„ nomen poteſtatis ſit, etiam timendæ. At
„ quomodo diliges, niſi timeas non diligere?
„ Plane nec Pater tuus eſt, in quem compe-
„ tat & amor, propter pietatem, & timor,
„ propter poteſtatem? Nec legitimus Dominus
„ ut diligas propter humanitatem, & timeas
„ propter diſciplinam? Sic denique plagiarii
„ diliguntur, non etiam timentur. Non enim
„ timebitur niſi juſta & ordinaria dominatio.
„ Diligi autem poteſt etiam adultera. Sollici-
„ tatio-

,, tatione enim conſtat, non auctoritate: &
,, adulatione non poteſtate. Quid denique adu-
,, lantius, quam delicta non exequi? Age igi-
,, tur, qui Deum non times quaſi bonum, quid
,, non in omnem libidinem ebullis? *&c.*

Cap. 28. Perverſiſſimum oſtendit Deum Marcionis, quia nec ipſum fidei ejus Sacramentum conſiſtere poteſt, ſcilicet Baptiſmus. ,,
,, Cui enim rei, *inquit*, Baptiſma quoque apud
,, eum exigitur? Si remiſſio delictorum eſt,
,, quomodo videbitur delicta dimittere, qui
,, non videbitur retinere? Quia retineret, ſi
,, judicaret. Si abſolutio mortis eſt, quomo-
,, do abſolveret a morte, qui non devinxit ad
,, mortem? Devinxiſſet enim ſi a primordio
,, damnaſſet. Si regeneratio eſt hominis, quo-
,, modo regenerat, qui non generavit? Itera-
,, tio enim con competit ei, a quo quid nec ſe-
,, mel factum eſt. Si conſecutio eſt Spiritus
,, Sancti, quomodo Spiritum attribuet, qui
,, animam non prius contulit? Quia factura eſt
,, quodammodo Spiritus anima. Signat igitur
,, hominem nunquam apud ſe reſignatum; la-
,, vat hominem numquam apud ſe coinquina-
,, tum; & in hoc totum ſalutis Sacramentum
,, carnem mergit exortem ſalutis. Nec ruſti-
,, cus terram rigabit fructum non relaturam,
,, niſi tam vanus, quam Deus Marcionis.

III. Sanctus Epiphanius Marcionis errores multis refellit Hæreſi 42. ex ipſiſmet Scripturæ libris, quibus utebantur Marcionitæ, ſcilicet ex Evangelio Sancti Lucæ & ex Paulinis Epi-
ſtolis,

ſtolis, quas Marcion agnoſcebat. Sed hæc ad unius Dei & Creatoris quidem probationem pertinent, qui ſit Legis Moſaicæ Auctor, & Inſpirator Prophetarum.

; Lucæ *cap.5.* Chriſtus Leproſum ſic alloquitur: „ Vade, oſtende te Sacerdoti & offer „ pro purgatione tua, ſicut præcepit Moyſes, „ ut teſtimonium hoc vobis.„ *Quæ verba Sanctus Epiphanius ſic expendit:* „ Potuitne Do„ minus, ſi contra Legem, Legiſque Deum „ ſuam haberet comparatam doctrinam, cura„ tis a ſe hominibus, veluti Leproſo huic „ iſtiuſmodi mandatum edere? Vade, oſtende „ te Sacerdoti. Ubi cum Sacerdotem comme„ morat, Legis Sacerdotium non abrogat. „ Quod ſi Moyſis præcepto jubet obtemperari „ Legis, Deum minime commendat, aut ei „ maledicit. Sed tam ſemetipſum, quam „ Deum Patrem ſuum, Legem Moyſi tradi„ diſſe confirmat.

Ibidem ait Chriſtus, ſecundum Evangelium etiam Marcionis: *Ut ſciatis quia poteſtatem habet Filius hominis dimittendi peccata in terra.* Quæ verba expendens S. Epiphanius, ita colligit: *Si poteſtatem habet in terra, non erit terra ab illius, ac Patris ipſius operibus aliena.*

Cap.6. Lucæ hæc habentur: *Dominus eſt Filius hominis, etiam Sabbati.* In quæ verba S. Epiphanius, *Sabbati*, inquit, *ſe Dominum profitetur, ne Sabbatum a molitione ſua abhorrere crederetur.*

ibi-

Ibidem habentur hæc verba : *Secundum hæc eadem faciebant Prophetis Patres veſtri* . Ex quibus S. Epiphanius ita concludit : *Cum Prophetarum mentionem faciat , Prophetas non repudiat ; cumque eorum cædem ulciſcatur , non a Prophetis alienus , ſed eorum Deus erit* .

Lucæ 9. hæc leguntur : *Et ecce viri cum illo loquebantur , Moyſes & Elias in gloria* . In quæ S. Epiphanius ſic notat : *Si alienus eſſet Moyſes illo , cui Legis eſt a Chriſto quondam mandata provincia : Si alieni inſuper Prophetæ ; numquam eos ſecum ſua illa in gloria repræſentaret* .

Ibidem in hæc verba : *E nube vox* : Hic eſt Filius meus dilectus . *Si de nube* , inquit , *locutus Pater Filium ſuum Diſcipulis oſtendit , non alius eſſe poteſt Conditor , quam is ipſe qui per nubem Filio ſuo teſtimonium præſtitit : nec in ea ſolum , quæ cælo ſuperiora ſunt , dominatum obtinebit* .

Cap. 10. Hæc extant in Evangelio Lucæ Marcionico : *Gratias ago tibi , Domine cæli* . Quæ contra Marcionem ſic intorquet Sanctus Epiphanius : *Domino itaque cæli gratias agit ; licet , terræ , ſuſtuleris , licet Patris vocem ſubtraxeris , Marcio : ne Patrem a Chriſto ſuum pronuntiari Conditorem oſtenderes . Vivunt adhuc & ſpirant veritatis illa a te relicta membra . Voculæ iſtæ nimirum , quas tu velut in reliquiis neglectas , per oblivionem retinuiſti : Etiam Pater . Ex quibus plane iſtud conficitur ,* pro-

proprio Patri gratias egiſſe Chriſtum Dominum, eumdemque cæli Dominum appellaſſe.

Ibidem. Dixit Chriſtus Legiſperito: *In Lege quod ſcriptum eſt?* Et reſpondens poſt Legiſperiti verba, dixit: *Recte dixiſti: hoc fac, & vives.* Ex quibus hoc elicit ratiocinium S. Epiphanius: *Cum Dei Filius ipſamet veritas eſſet, neminem eorum, qui ſe de vita conſequenda interrogarent, fefellit. Quare cum & vitæ noſtræ curam geſſerit, & ei, qui Legem ſervaret, ad futuram vitam oſtenderit; ſed & eum, qui cum Lege ipſa conſentanee reſponderat, præclare dixiſſe teſtatus fuerit, quis erit tam vecors ac ſtupidus, Marcioni ut inhæreat, qui Deo illi maledicat, a quo non modo Lex in homines, ſed & Evangelii gratia eſt derivata?*

Lucæ 12. hæc ſcripta ſunt: *Timete eum, qui habet poteſtatem mittendi animam in gehennam.* Quæ verba ſic adverſus Marcionem urget S. Epiphanius. *Velim mihi reſpondeas, o Marcion, quid de eo cenſeas, qui poteſtatem habere dicitur? Si enim Patrem illum eſſe dixeris, eumdemque, quem tu bonum Deum prædicas, Judicem eſſe confiteris, qui pro meritis ſuis unumquemque compenſet: aut ſi alium quempiam eſſe judicas, Conditorem ſcilicet, quem tu proprie judicem conſtitutis; cedo, quis ei poteſtatem commiſerit? Hanc enim ſi habet ipſe per ſeſe, magnus utique eſt, ac poteſtate præditus. Quod ſi judicandi penes ejus facultas eſt, erit & ſervandi. Qui enim juriſdictionem exer-*

cere

cerē poteſt, poteſt & abſolvere. Præterea ſi, cum Judex in gehennam præcipites immittit animas, bonus ille Deus, qui tantam animarum curam gerit, non eas liberat, haberi bonus qui poterit? Aut enim ille fortior eſt, nec ex ejus manibus extorquere poteſt: aut, ut facultas ſuppetat, deeſt tamen liberandi voluntas. Ubinam igitur illa bonitas eſt?

Ibidem extant illa verba: *Quærite regnum Dei: & hæc omnia adjicientur vobis*. Quæ in Deum Marcionis ſic urget Sanctus Epiphanius: *Si alienis ſuſtentamur opibus, eſtque alius cæleſtis regni Deus, quid poteſt in hoc eſſe ſermone conſentaneum? Nam aut ad illum tam inferiora iſta pertinent, quam cæleſte regnum; ideoque inferiora hæc omnia, quæ ſua ſunt, pro labore illo, quem regni ſui deſiderium offerre ſolet, hominibus rependit: aut ita regnum, futurumque ſæculum ad illum pertinet, ut hæc infima Conditori tribuenda ſint. Ex quo ſequitur, Conditoris ipſius voluntatem ad ſupremi illius regnum accomodatam eſſe; cum iis omnibus gratificetur, & faveat, qui juſtitiam ipſius, ac regnum requirunt. Quod ſi voluntatis nulla diſſenſio, ſed ſumma quædam concordia ſit, non jam duo ſunt, triave principia.*

IV. Theodoretus lib. 5. Hæreticarum Fabularum, cap. 17. eumdem Veteris, & Novi Teſtamenti Deum eſse contra Marcionem probat. *Nos autem*, inquit, *ſcimus, & Veteris, & Novi Teſtamenti Auctorem unum eſſe, quod ipſum per Jeremiam Prophetam aperte docet: Diſ-*

Diſponam, inquit, *domui Iſrael, & domui Juda, Teſtamentum Novum, non ſecundum Teſtamentum quod diſpoſui Patribus eorum, in die quo apprehendi manum ipſorum, ad educendos eos de terra Ægypti; ſed diſponam eis Teſtamentum Novum, dans leges meas in mentem eorum, & in cordibus illorum ſcribam eas. Quibus verbis aperte docuit, quod qui Vetus dedit, Novum etiam exhibebit. Quod ſi Prophetiis fidem non habent, audiant Legislatorem leges antiquas non ſubvertentem, ſed adſtringentem. Subvertentis enim eſſet dicere: Dictum eſt antiquis, non mœchaberis; ego vero dico vobis, Mœchare: & dictum eſt antiquis, non occides; Ego vero dico vobis, Occide. Hoc enim faciunt Antitactæ cognati Marcionis. Dominus autem in legibus quas ſancit, aperte docet, quod non ſubvertit antiqua, ſed perfectiorem vitæ rationem inducit. Et quemadmodum literator eos, qui diſcere incipiunt, literarum caracteres docet: iis vero qui hos didicerint, ſyllabarum connexiones tradit; alios autem docens quomodo conjungenda ſint nomina, & alios quæ ſit lectionis concinnitas, non contrarias doctrinæ leges profert, ſed congrua ætati documenta præbet: Sic Chriſtus Dominus convenientes unicuique generationi leges dedit. Neceſſarias enim & primas in hominum natura inſcripſit .... Alias autem diverſis modis dedit in unaquaque generatione: Adæ quippe legem de arbore impoſuit: Noe vero de uſu carnium: Patriarchæ de Circumciſione legem tulit, alias per Moy-*

Moyſem magnum Prophetam conſcripſit. In divinis autem Evangeliis de parvis rebus latas leges, velut elementorum quorumdam exercitationem ceſſare faciens, leges dedit perfectiſſimas. Et quemadmodum matres recens natis infantibus mammam præbent, poſtmodum cibum dentibus comminutum, deinde cum pueri, & adoleſcentes evaſerint, ſolidum: ſic univerſorum Deus, iis, qui illa didicerint, perfectiorem præbet doctrinam. Vetus tamen Teſtamentum, velut maternam mammam veneramur, ſed lac non ſumimus. Perfectis enim ſupervacaneum eſt lac ejus quæ nutrit: Nutricem tamen honorant, ut qui alti ab ea fuerint: Sic & nos Circumciſionem quidem, & Sabbatum & Sacrificia, & aſperſiones ſervare non ferimus: Alias autem Veteris Teſtamenti utilitates carpimus. Nam & pietatem, & fidem in Deum, & dilectionem erga proximum, & temperantiam, & juſtitiam, & fortitudinem exacte docet, & veterum Sanctorum exempla imitanda proponit.

V. Errorem Marcioniticum de duobus Diis, uno bono & altero malo a Manete & Manichæis excitatum Eccleſia execrata eſt. Contra hunc pugnavit S. Auguſtinus paſſim in Operibus contra Manichæos. Ipſum audire præſtat diſputantem contra Fauſtum, lib. 21. cap. 3. *Vos autem*, inquit, *non valentes diſcernere quid faciat Deus beneficio, quid judicio: quia & a corde & ab ore veſtro longe eſt Pſalterium noſtrum, ubi dicitur: Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine: quidquid vos pro infir-*

firmitate humanæ mortalitatis offenderit, alienatis omnino ab arbitrio & judicio Dei veri: videlicet habentes paratum alterum Deum malum, quem vobis non veritas oſtendit, ſed vanitas fingit; cui tribuatis non ſolum quidquid facitis injuſte, verum etiam quidquid patimini juſte; ita Deo tribuentes beneficia donorum, & ei auferentes judicia pœnarum, quaſi de alio dixerit Chriſtus, Quod præparaverit ignem æternum malis, quam de illo, Qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Unde hìc tantam bonitatem, & ibi tantam ſeveritatem ad unum pertinere Deum non intelligitis, niſi quia miſericordiam & judicium cantare non noſtis.

Eumdem errorem profligat lib. *de Natura Boni* contra Manichæos, cap. 1. hac ineluctabili ratione: Omnis natura bona eſt: ergo eſt a ſummo bono: ergo non eſt aliquod principium ſupremum, a quo ſint naturæ malæ: *Quia ergo*, inquit, *bona omnia, ſive magna, ſive parva, per quoslibet rerum gradus non poſſunt eſſe niſi a Deo: omnis enim natura, in quantum natura eſt, bonum eſt: Omnis natura non poteſt eſſe niſi a ſummo & vero Deo; quia omnia, etiam non ſumma bona, ſed propinqua ſummo bono; & rurſus omnia etiam noviſſima bona, quæ longe ſunt a ſummo bono, non poſſunt eſſe niſi ab ipſo ſummo bono. Omnis ergo ſpiritus, etiam mutabilis, & omne corpus a Deo, & hæc omnia facta natura. Omnis quippe natura aut ſpiritus, aut corpus eſt.*

Et

Et lib. 1. *Contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap.5. non minus diſerte probat nullam eſſe naturam malam, quia malum nihil aliud eſt quam privatio boni, & non eſt niſi in re bona: unde ſequitur nullum eſſe malum ſubſiſtens, quod in malum Deum velut in Auctorem refundatur. *Sed ipſa quoque vitia*, inquit, *teſtimonium perhibent bonitati naturarum. Quod enim malum eſt per vitium, profecto bonum eſt per naturam. Vitium quippe contra naturam eſt, quia naturæ nocet: nec noceret, niſi bonum ejus minueret. Non eſt ergo malum, niſi privatio boni. Ac per hoc nuſquam eſt niſi in re aliqua bona. Ac per hoc bona ſine malis eſſe poſſunt, ſicut ipſe Deus, & quæque ſuperiora cæleſtia: mala vero ſine bonis eſſe non poſſunt. Si enim nihil nocent, mala non ſunt; ſi autem nocent, bonum minuunt: & ſi amplius nocent, habent adhuc bonum quod minuant: & ſi totum conſumunt, nihil naturæ remanebit cui noceatur. Ac per hoc, nec malum erit a quo noceatur; quando natura defuerit, cujus bonum nocendo minuatur.*

Et cap.16. *Evangelium*, inquit, *Legi veteri comparans Dominus, & non illud malum, quod homines ante didicerant, ſed quod ipſe docebat, perfectius eſſe conteſtans: Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis; Quicumque iratus fuerit fratri ſuo, reus erit judicio; Qui autem dixerit, Racha, reus erit conſilio; Qui autem dixerit, Fatuc,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

tue, reus erit gehennæ ignis. Quid tam parvum in peccatis, quam fratri dicere, Fatue? Quid tam magnum in ſuppliciis, quam gehenna ignis? Si in Lege, vel Prophetis iſte inveniſſet aliquem, qui dixiſſet fratri ſuo, Fatue, lapidari juſſum fuiſſe divinitus, quantæ Deum crudelitatis argueret? Quis autem, non dico lapidari, ſed per ſingulos artus, immo per ſingula corporis fruſta, paullatim, atque minutatim, vivens, & ſentiens dilaniari, conſumique non maluiſſet, quam gehennæ ignibus mancipari? Abſit tamen ut crudeliorem quiſquam dicat Evangelii quam Legis Deum, intelligens utriuſque eſſe unum & eumdem Deum, in Lege terrentem carnalibus, in Evangelio ſpiritalibus pœnis: & ibi & hìc fidelem, nuſquam crudelem.

§. II.

Solvuntur argumenta Marcioni in ſpeciem faventia.

OBjiciebant Marcionitæ. Si Deus bonus, & præſcius futuri, & avertendi mali eſſet, nullo modo paſſus eſſet hominem labi de obſequio legis in mortem, circumventum a diabolo. Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præſcius qui eventurum non ignoraret; & potens, qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet. Atqui Creator hominem in peccatum labi paſſus eſt: ergo non eſt bonus Deus

Deus; vel non eſt præſcius futuri; vel non eſt omnipotens.

Reſpondeo, nego conſecutionem majoris. Hominem enim labi paſſus eſt in peccatum, ut ejus libertas eluceret. Nec tamen Deo, ſed homini ſua male utenti libertate peccatum tribuendum eſt. Ita Tertullianus reſpondet lib.2. contra Marcionem, cap.5. *Liberum*, inquit, *& ſui arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum; nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt; ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ ad formam Dei reſpondentis, & arbitrii ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt. Hunc ſtatum ejus confirmavit etiam ipſa lex tunc a Deo poſita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Tota ergo libertas arbitrii*, inquit Tertullianus cap.6. *in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui dominus conſtanter occurreret & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando ..... Alias quale erat ut totius mundi poſſidens homo, non in primis animi ſui poſſeſſione regnaret, aliorum Dominus, ſui famulus?*

Ceterum impedire libertatis uſum, immo & abuſum, non debuit Deus: „ Si enim, inquit

„ inquit Tertullianus *cap.*7. ſemel homini per-
„ miſerat arbitrii libertatem & poteſtatem , &
„ digne permiſerat, utique fruendas eas ex ipſa
„ inſtitutionis auctoritate permiſerat ; fruen-
„ das autem quantum in ipſo , ſecundum ip-
„ ſum , id eſt ſecundum Deum , id eſt in bo-
„ num . (Quis enim adverſus ſe permittit
„ aliquid ?) quantum vero in homine , ſecun-
„ dum motus libertatis ipſius . Quis enim non
„ hoc præſtat ei , cui ſemel frui præſtat , ut
„ pro animo & arbitrio ſuo fruatur ? Igitur con-
„ ſequens erat ut Deus ſecederet a libertate ſe-
„ mel conceſſa homini ; id eſt contineret in ſe-
„ metipſo & præſcientiam ſuam , & potentiam
„ ſuam , per quas interceſſiſſe potuiſſet , quo-
„ minus homo libertate ſua male frui aggreſ-
„ ſus , in periculum laberetur . Si enim inter-
„ ceſſiſſet , reſcidiſset arbitrii libertatem ,
„ quam ratione & bonitate permiſerat „ ; *Non itaque in Deum refundendum eſt peccatum hominis* . „ Libertas enim arbitrii , *inquit Tertul-*
„ *lianus cap.* 9. non ei culpam reſpuet a quo
„ data eſt , ſed a quo , non ut debuit , admi-
„ niſtrata eſt . *Ille namque* non habendus eſt
„ delicti auctor , qui invenitur interdictor ,
„ immo & condemnator .

Contra . Homo imago Dei eſt , & ejus anima eſt Dei Spiritus : igitur ſi ſit delicti capax , Creator erit etiam capax defectionis .

Reſpondeo , hominem neque eſſe perfectam imaginem Dei , neque animam eſſe Spiritum Dei , ſeu ſubſtantiæ divinæ portionem , ut

ut Hæretici intellexerunt,ſed Dei afflatum. Unde non ſequitur Deum eſſe capacem delicti; vel impeccantiam animæ convenire. Ut enim ait eleganter Tertullianus cap.9. lib.2. adverſus Marcionem. „ Imago veritati non uſquequaque adæquabitur. Aliud eſt enim ſecundum „ veritatem eſſe, aliud ipſam veritatem eſſe. „ Sic & afflatus, cum imago ſit Spiritus, non „ poteſt ita imaginem Dei comparare, ut „ quia veritas, id eſt, Spiritus, id eſt, Deus, „ ſine delicto eſt; ideo & afflatus, id eſt, ima„ go, non debuerit admiſiſſe delictum. In „ hoc erit imago minor veritate, & afflatus „ Spiritu inferior, habens illas utique lineas „ Dei qua immortalis anima, qua libera & ſui „ arbitrii, qua præſcia plerumque, qua ratio„ nalis, capax intellectus & ſcientiæ: tamen & „ in his imago, & non ad ipſam vim divini„ nitatis; ſic nec uſque ad integritatem a de„ licto; quia hoc ſoli Deo cedit, id eſt, ve„ ritati; & hoc ſolum imagini non licet. Sicut „ enim ſimago, cum omnes lineas exprimat „ veritatis, vi tamen ipſa caret, non habens „ motum: ita & anima, imago Spiritus, ſo„ lam vim ejus exprimere non valuit, id eſt, „ non delinquendi felicitatem. Ceterum non „ eſſet anima, ſed Spiritus; nec homo qui ani„ mam ſortitus eſt, ſed Deus.

Objiciebant ſecundo Marcionitæ. Deus a primordio ſeverus fuit. Qui autem a primordio ſeverus eſt, non eſt natura bonus: Creator igitur non eſt natura bonus.

Reſpondeo, diſtinguo minorem. Si ſeveritatem exerceat abſque cauſſa, concedo. Si ex cauſſa, & legitima ratione, nego. Deus porro ſeveritatem a primordio ſuam non exercuit, niſi creaturæ delicto provocatus, in quam prius bonitatis ſuæ divitias effuderat. Sic reſpondet Tertullianus *cap.* 2. „ Prior bonitas Dei, „ ſecundum naturam; ſeveritas poſterior, ſecundum cauſſam: illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata. Nec „ natura enim inoperatam debuit continuiſse „ bonitatem, nec cauſsa diſſimulatam evaſiſse „ ſeveritatem. Alteram ſibi, alteram rei Deus „ præſtitit. Igitur uſque ad delictum hominis, „ Deus a primordio tantum bonus, *inquit Tertullianus*, exinde judex & ſeverus. Statim „ mulier in doloribus parere, & viro ſervire „ damnatur: ſed quæ ante ſine ulla contriſtatione per benedictionem incrementum generis audierat: ſed quæ in adjutorium maſculo, non in ſervitium fuerat deſtinata. Statim & terra maledicitur, ſed ante benedicta. Statim tribuli & ſpinæ, ſed ante fœnum „ & herbæ. Statim ſudor & labor panis; ſed „ ante ex omni ligno victus immunis, & alimenta ſecura. Exinde homo ad terram, ſed „ ante ab terra. Exinde ad mortem, ſed ante „ ad vitam „. Tantum itaque abeſt ut Deus bonus non ſit, quia juſtus & ſeverus eſt, quin immo bonus non eſset, niſi juſtus eſset. *Juſtitia* enim *tutela eſt bonitatis*, inquit Africanus noſter: *Quia bonitas, niſi juſtitia regatur, non erit*

erit bonitas. Nihil enim bonum, quod injuſtum; bonum autem omne quod juſtum.

Præterea; Dei ſeveritas & in peccatores animadverſio bonitatis ipſius conſilia juvat, quia pœnarum timor homines a malo avellit. Proinde ſeveritas Deum eſſe bonum demonſtrat. *Quis* enim *boni auctor*, inquit Tertullianus cap. 13. *niſi qui & exactor? Proinde quis mali extraneus, niſi qui & inimicus? Quis inimicus, niſi qui & expugnator? Quis expugnator, niſi qui & punitor? Sed totus Deus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt.*

Addit, in juſtitia ceteras divinitatis dotes promicare; & ideo ipſam eleganter vocat plenitudinem divinitatis. *Uſque adeo*, inquit, *juſtitia plenitudo eſt divinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum; Patrem, clementia; Dominum, diſciplina: Patrem, poteſtate blanda; Dominum, ſevera. Patrem, diligendum pie; Dominum, timendum neceſſarie. Diligendum, quia malit miſericordiam, quam ſacrificium; & timendum, quia nolit peccatum.*

Objiciebant tertio Marcionitæ. Ipſe Creator ſe profitetur conditorem malorum. Amos 3. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Et Iſa. 45. *Ego Dominus creans malum:* ergo Creator malus eſt.

Reſpondeo diſtinguo antecedens: Se profitetur conditorem malorum pœnæ, concedo; malorum culpæ, nego. Sic reſpondet Tertullianus cap. 14. „ Quia, *inquit*, mala dicun-

„ tur

„ tur & delicta, & ſupplicia paſſim, volunt
„ eum conditorem intelligi malorum, ut &
„ malitiæ auctor renuntietur. Nos autem adhi-
„ bita diſtinctione utriuſque formæ, ſeparatis
„ malis delicti, & malis ſupplicii, malis cul-
„ pæ, & malis pœnæ, ſuum cuique parti defi-
„ nimus auctorem: malorum quidem peccati
„ & culpæ diabolum; malorum vero ſupplicii
„ & pœnæ Deum Creatorem, ut illa pars ma-
„ litiæ deputetur, iſta juſtitiæ, mala conden-
„ tis judicia adverſus mala delicti. De his ergo
„ Creator profitetur malis, quæ congruunt
„ judici. Quæ quidem illis mala ſunt, quibus
„ rependuntur. Ceterum ſuo nomine bona,
„ qua juſta, & bonorum defenſoria, & deli-
„ ctorum inimica, atque in hoc ordine, Deo
„ digna.

Ita etiam reſpondet S. Auguſtinus lib. contra Adimantum Manichæum, cap. 26. „ Ma-
„ lum, *inquit*; hoc loco, non peccatum, ſed
„ pœna intelligenda eſt. Dupliciter enim ap-
„ pellatur malum; unum quod homo facit,
„ alterum quod patitur, pœna. De pœnis er-
„ go loquebatur Propheta, cum hoc diceret.
„ Divina enim providentia cuncta moderante,
„ & gubernante, ita homo male facit quod
„ vult, ut male patiatur quod non vult. Ita er-
„ go Deus malum facit, quod non ipſi Deo
„ malum eſt, ſed eis in quos vindicat.... Et
„ ideo non eſt contrarium quod Adimantus ob-
„ jicit dixiſſe Dominum: Arbor bona fructus
„ bonos facit, mala autem arbor malos fructus.
„ Quam-

„ Quamvis enim malum ſit gehenna damnato ;
„ juſtitia tamen Dei bona , & ipſa fructus eſt
„ ex arbore bona .

Objiciebant quarto Marcionitæ . Sævus eſt , qui patrum delicta in filiis punit : ſed Creator patrum Delicta in filiis punit : igitur crudelis eſt , non bonus . Minor conſtat ex cap. 20. *Ego ſum Deus Zelotes , viſitans iniquitatem Patrum in filios &c.*

Reſpondeo , diſtinguo minorem : Si filii peccata parentum imitentur , concedo : Sin minus , nego . „ Quamquam , *inquit Tertullianus* ,
„ ſi Evangelium veritatis accipias , ad quos
„ pertineat ſententia reddentis in filios patrum
„ delicta , cognoſces : ad illos ſcilicet , qui
„ hanc ultro ſibi ſententiam fuerant irrogaturi .
„ Sanguis illius ſuper capita noſtra , & filiorum
„ noſtrorum „ . Sic reſpondet etiam Sanctus Auguſtinus lib. contra Adimantum , cap. 7.
„ Quare , *inquit* , intelligendum eſt & illud
„ rectum eſſe , quod Deus retribuit parentum
„ peccata filiis , qui eum oderunt . Ex eo enim
„ quod addidit , Qui me oderunt , intelligitur
„ eos puniri peccatis parentum , qui in eadem
„ perverſitate parentum perſeverare volue-
„ runt . Tales enim non ſævitia , ſed potius
„ juſtitia Dei , & ſua iniquitate puniuntur . . . .
„ Quod autem in tertiam , & quartam ſcriptum
„ eſt generationem vindictam procedere , non
„ aliud ſignificari arbitrabor , niſi quod ab ipſo
„ Abraham , qui pater eſſe incipit populi Ju-
„ dæorum , 4. Ætates ſunt , cum iſta quæ nunc

 „ agi-

„ agitur ; una ab Abraham uſque ad David ;
„ alia a David uſque ad tranſmigrationem in
„ Babyloniam ; tertia a tranſmigratione uſque
„ ad Domini adventum : inde uſque ad finem
„ quarta deputatur . Quas ætates pro genera-
„ tionibus poſitas credimus . Et quoniam tertia
„ incipit a tranſmigratione Babyloniæ, quando
„ Judæorum eſt facta captivitas : in quarta ve-
„ ro , id eſt , poſt adventum Domini noſtri ,
„ gens Judæorum a ſolo proprio penitus eradi-
„ cata eſt : hoc datur intelligi , quod dictum
„ eſt , tertiæ , & quartæ generationis peccata
„ parentum redditurum Deum : his utique le-
„ gitime , atque debite , qui parentum pecca-
„ ta perſeverantes tenere , quam Dei juſtitiam
„ ſequi maluerunt . Nam non pertinere patris
„ peccata ad filium juſte viventem , Propheta
„ Ezechiel apertiſſime oſtendit .

Ita porro habet Ezechielis locus ſane luculentiſſimus , *c.* 18. ubi poſtquam de impio & ejus pœnis multa præmiſit , hæc ſubjungit :
„ Quod ſi genuerit filium , qui videns omnia
„ peccata patris ſui , quæ fecit, timuerit , &
„ non fecerit ſimile eis. . . . Judicia mea fece-
„ rit , in præceptis meis ambulaverit : hic non
„ morietur in iniquitate patris ſui , ſed vita
„ vivet . . . . Anima quæ peccaverit , ipſa
„ morietur . Filius non portabit iniquitatem
„ patris ; & pater non portabit iniquitatem fi-
„ lii . Juſtitia juſti ſuper eum erit : & impietas
„ impii erit ſuper eum .

Reſpondeo ſecundo . Negari poſſe majo-
rem ,

rem, de temporali punitione intellectam. Cum enim filius ſit aliquid patris, merito patres in filiis puniuntur temporaliter, ut hujuſmodi pœnarum ſuæ poſteritati imminentium timore parentes deterreantur a peccato. Ita reſpondet Tertullianus cap. 15. lib. 2. contra Marcionem. *Nam*, inquit, *etſi patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis proſpicientes, legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum ſalutem, quam ſuam curet? Sed etſi benedictio patrum ſemini quoque eorum deſtinabatur, ſine ullo adhuc merito ejus; cur non & reatus patrum in filios quoque redundaret, ut per totum genus & gratia decurreret, & offenſa? Salvo eo, quod poſtea decerni debebat: non dicturos; Acidam uvam patres manducaſſe, & dentes filiorum obſtupuiſſe, id eſt, non ſumpturum patrem delictum filii, nec filium delictum patris; ſed unumquemque delicti ſui reum futurum; ut poſt duritiam populi, duritia legis edomita, juſtitia jam non genus, ſed perſonas judicaret.*

Objiciebant quinto Marcionitæ. Bonus Deus non eſt, qui talionis legem indixit, qui multos cibos populo ſuo abſtulit: qui ipſum ſacrificiorum, operationum, oblationum onere prægravavit. Talis eſt Deus Creator. Totus igitur ad ſævitiam, non ad bonitatem comparatus eſt.

Reſpondeo, diſtinguo majorem: Niſi illa omnia præſtiterit in gloriæ ſuæ, & hominis ipſius bonum, concedo. Si illa præſtiterit tum

propter gloriam ſuam, cum propter hominum ſalutem, nego. At Creator hæc omnia ordinavit hunc in finem. Ut enim a lege talionis incipiamus, hanc Deus tulit non ut exercendæ injuriæ licentiam daret, ſed ut violentiam, paris pœnæ metu, cohiberet. Ita reſpondet Tertullianus cap.18. lib.2. *Sed quæ potius legis bona defendam*, inquit, *quam quæ Hæreſis concupiit, ut talionis definitionem, oculum pro oculo, dentem pro dente? Non enim injuriæ mutuo exercendæ licentiam ſapit, ſed in totum cobibendæ violentiæ proſpicit: ut quia duriſſimo, & in Deum infideli populo longum, vel etiam incredibile videretur a Deo expectare defenſam, edicendam poſtea per Prophetam. Mihi defenſam, & ego defendam, dicit Dominus: interim commiſſio injuriæ metu vicis ſtatim accurſuræ repaſtinaretur; & licentia retributionis prohibitio eſſet provocationis.*

Lex itaque talionis vindictam non permittebat, ſed primum lenitatis gradum rudi adhuc populo imperabat, ſcilicet non rependere pœnam injuria graviorem. Quæ lenitas Chriſti magiſterio ad ſummum erat gradum provehenda. Hunc nodum ita ſolvit S. Auguſtinus lib. contra Adimantum, cap.8. citatum Veteris Teſtamenti locum cum illo Evangelii concilians, quo præcepit Chriſtus, *Ego dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam, præbe illi & alteram &c. In quibus duabus ſententiis*, inquit S. Auguſtinus, *duorum Teſtamentorum differentia demonſtratur; ſed amba-*

amborum tamen ab uno Deo conſtitutorum. Nam quoniam primo carnales homines ardebant multo amplius ſe vindicare, quam erat illa injuria, de qua querebantur, conſtitutus eſt eis primus lenitatis gradus, ut injuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim & donare aliquando poſſet injuriam, qui eam primo non ſuperare didiciſſet. Unde Dominus jam per Evangelii gratiam ad ſummam pacem populum deducens, huic gradui ſuperædificavit alterum: ut qui jam audierat, non ampliorem vindictam, quam quiſque læſus eſſet, reddere, placata mente totum ſe donare gauderet. Quod etiam in illis veteribus libris Propheta prædicat, dicens: Domine Deus meus, ſi feci iſtud; ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala. Et alius Propheta de hujuſmodi viro patiente injurias, & leniſſime tolerante: Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis. Ex quo intelligitur, & menſuram vindicandi recte carnalibus conſtitutam, & omnimodam injuriæ remiſſionem non tantum in Novo Teſtamento eſſe præceptam, ſed longe ante in Veteri prænuntiatam.

Et lib. 19. contra Fauſtum, cap. 25. *Proinde*, inquit, *oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, ſed limes furoris eſt: non ut id quod ſopitum erat, hinc accenderetur: ſed ne id quod ardebat, ultra extenderetur. Impoſita eſt enim quædam juſta vindicta, juſteque debetur ei qui fuerit paſſus injuriam, unde utique cum ignoſcimus, de noſtro quodammodo jure largi-*

mur. Vnde etiam debita dicuntur, quæ in Oratione Dominica humanitus dimittere monemur, ut nobis & noſtra divinitus dimittantur. Quod autem debetur etſi benigne dimittitur, non tamen inique repetitur: ſed ſicut in jurando, etiam qui verum jurat, propinquat perjurio, unde longe abeſt qui omnino non jurat: & quamvis non peccet qui verum jurat, remotior tamen a peccato eſt qui non jurat: unde admonitio non jurandi, conſervatio eſt a peccato perjurii, ita cum peccet, qui per immoderationem injuſte vult vindicari, remotior eſt a peccato perjurii. Ita cum peccet, qui per immoderationem injuſte vult vindicari; non peccet autem, qui modum adhibens, juſte vult vindicari, remotior eſt a peccato injuſtæ vindictæ, qui non vult omnino vindicari. Totum caput laudatum S. Auguſtini in ſonte legi poteſt.

Quod ſpectat certorum interdictionem ciborum, illam pariter bonam eſſe contendo, quia exercendæ continentiæ cauſa præcepta erat: & ut ad ceteras virtutes abſtinentiæ beneficio populus electus formaretur. *Sic cibis detrhait*, inquit, *& immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige; & frænos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cum Panem ederet Angelorum, cucumeres, & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt. Proinde ut & pecuniæ ardor reſtingueretur ex parte, qua de*

vi-

victus neceſſitate cauſſatur, pretioſiorum ciborum ambitio detracta eſt. Poſtremo ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis, & non glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus eſuriturus (inquit Tertullianus).

Reſpondeo ſecundo, interdictum eſſe certis cibis, non quod natura immundi eſſent, ſed myſtica ſignificatione. Sic reſpondet S. Auguſtinus lib.6.contra Fauſtum, cap.7. *Teſtamento autem Veteri*, inquit, *ubi quidam cibi carnalium prohibentur, cur non ſit contraria iſta ſententia, qua dicit Apoſtolus: omnia munda mundis, &, omnis creatura Dei bona eſt: ſi poſſunt, intelligant hoc Apoſtolum de ipſis dixiſſe naturis: illas autem Litteras, propter quaſdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non natura, ſed ſignificatione immunda dixiſſe. Ita quod verbi gratia, ſi de porco & agno requiratur, utrumque natura mundum eſt, quia omnis creatura Dei bona eſt: quadam vero ſignificatione agnus mundus, porcus immundus eſt... Immundum quippe illud animal in Lege poſitum eſt, eo quod non ruminet: non autem hoc ejus vitium, ſed natura eſt. Sunt autem homines, qui per hoc animal ſignificantur, immundi proprio vitio, non natura: qui cum libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab inteſtino memoriæ, tamquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine revocare, quid eſt aliud quam ſpiritaliter quodammodo ruminare? Quod qui non faciunt, illorum anima-*

 lium

lium genere figurantur. Unde & ipſa a talibus carnibus abſtinentia tale vitium nos cavere præmonuit.

Quod denique ſpectat multitudinem ſacrificiorum & oblationum, reſpondeo, Deum iſta imperaſse propter bonum hominum, ut eos his obſervantiis illigatos ab idolatria, in quam propenſi erant, avocaret. Sic reſpondet Tertullianus cap. 18. lib. 2. contra Marcionem. *Sacrificiorum onera*, inquit, *& operationum, & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia ſibi proprie deſideraverit, qui tam manifeſte exclamat: Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? Et quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? Sed illam Dei induſtriam ſentiat, qua populum pronum in idolatriam & tranſgreſſionem, ejuſmodi officiis Religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, ſibi jubens fieri, quaſi deſideranti, ne ſimulacris faciendis delinqueret.*

Sed & in ipſis commerciis vitæ, pergit Tertullianus cap. 19. *& converſationis humanæ, domi, & foris, ad uſque curam vaſculorum, omnifariam diſtinxit: ut iſtis legalibus Diſciplinis occurrentibus ubique, ne ullo momento vacarent a Dei reſpectu. Quid enim faceret beatum hominem, quam, in lege Domini voluntas ejus? Et in lege Domini meditabitur die ac nocte? Quam legem non duritia promulgavit Auctoris: ſed ratio ſummæ benignitatis, populi potius duritiam edomantis, & rudem obſequio fidem operoſis*

roſis officiis dedolantis: ut nihil de arcanis attingam ſignificantis Legis, ſpiritalis ſcilicet, & Propheticæ, & in omnibus pene argumentis figuratæ. Sufficit enim in præſenti, ſi ſimpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam reprobare debeat, niſi cui non placet Dèo deſervire.

Eamdem doctrinam tradit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Oratione 42. *Propterea*, inquit, *nobis adjumenti cauſſa Lex datur, velut maceria quædam inter Deum & Idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paullum quiddam primo indulget, ut majus accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inſerat: ac poſtea, cum commodum fuerit, ipſa quoque Sacrificia de medio tollat, mira ſapientia per tacitas ſubtractiones animos noſtros ſenſim immutans, atque ad Evangelium traducens, jam ad obediendum exercitatos, & aſſuefactos. Sic igitur, atque his de cauſſis Lex ſcripta introducta eſt; ad Chriſtum nos colligens. Atque hæc Sacrificiorum eſt ratio.*

Contra. Sacrificia Legis veteris mala erant: ſiquidem erant ſimillima Sacrificiis, quæ falſis Numinibus offerebantur. Ergo a Malo Deo imperata ſunt.

Reſpondeo, nego antecedens. *Tantum enim intereſt inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum*, (inquit Sanctus Auguſtinus lib. 21. contra Fauſtum, cap. 10.) *quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntian-*

tiantem. Sicut autem non ideo contemnenda vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales Virgines fuerunt: ſic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia ſunt & Sacrificia Gentium; quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur, atque reddatur: ſic inter Sacrificia Paganorum & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſint immolata, & oblata: illa ſcilicet ſuperbæ impietati dæmoniorum, idipſum ſibi ob hoc arrogantium, quo haberentur Dii, quia divinus honor eſt Sacrificium: illa vero uni Deo, ut ei offerretur ſimilitudo promittens veritatem Sacrificii, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in Paſſione corporis, & Sanguinis Chriſti.

Contra. Si idem eſset Veteris, & Novi Teſtamenti Deus, Sacrificia, oblationes, ceteræque obſervantiæ, quæ præcepta erant in Veteri Teſtamento, in Novo prohibitæ non eſsent. Aliàs ſibi ipſi Deus ille contradiceret. Ergo non eſt idem Veteris & Novi Teſtamenti Deus.

Reſpondeo, nego majorem. Hæc enim cum ad Chriſtum figurandum pertinerent univerſa, & promiſſiones eſsent gratiæ per ipſum exhibendæ; ipſa veritate affulgente, & gratia per Jeſum Chriſtum data, impleta ſunt. Sic reſpondet S. Auguſtinus libro 19. contra Fauſtum, cap.18. *Quid ergo habent iſti*, inquit, *unde Legi & Prophetis calumnientur, quod eos Chriſtus ſolvere venerit potius, quam adim-*

adimplere, quia Chriſtiani non obſervant quæ ibi præcepta ſunt, cum ea ſola non obſervent, per quæ Chriſtus promittebatur, & ideo non obſervent magis, quia eadem promiſſa jam Chriſtus implevit: nec adhuc promittuntur, quia jam impleta ſunt; eorumque promiſſiva ſigna in eis terminari debuerunt, quos fides Chriſti hæc adimplentis jam talibus imbutos invenerat? Deinde recenſitis Decalogi præceptis, quæ a Chriſtianis obſervari ait, quamvis ad veterem legem etiam pertinerent, hujus diſcriminis rationem hanc profert. *Hæc*, inquit, *Præcepta ſunt morum: illa Sacramenta ſunt promiſſorum: hæc implentur per adjuvantem gratiam: illa per redditam veritatem: utraque per Chriſtum, & illam ſemper gratiam donantem, nunc etiam revelantem: & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem; quia Lex per Moyſem data eſt, Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Denique iſta, quæ in recte vivente conſcientia conſervantur, fide per dilectionem operante complentur: illa vero quæ in promittente ſignificatione verſata ſunt, rebus redditis tranſierunt. Ita & ipſa non ſoluta, ſed impleta ſunt, quia ea non irrita, nec fallacia Chriſtus oſtendit, cum id quod eorum ſignificatione promittebatur, exhibuit.*

Nec ideo ſecum pugnat Creator, quod tam diverſa præcepta tradiderit hominibus, quia eorum ſtatui accommodata erant. Id præclaro exemplo explicat S. Auguſtinus libro 32. contra Fauſtum, cap. 14. *Sicut æger*, inquit, *non debet*

debet reprehendere medicinalem doctrinam, ſi aliud illi hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperat; ſic enim ſe habet ſanandi ejus corporis ratio: ita genus humanum ab Adam uſque ad finem ſæculi, quamdiu corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ægrum atque ſaucium non debet divinam reprehendere medicinam, ſi in quibuſdam hoc idem, in quibuſdam vero aliud prius, aliud poſterius obſervandum eſſe præcepit, præſertim quia ſe aliud præcepturam eſſe promiſit.

Objiciebant ſexto Marcionitæ, Deum Veteris Teſtamenti repudium uxoris permiſiſſe: Novi vero Teſtamenti Auctorem prohibuiſse dimiſſionem uxoris his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Adeoque non eſse eumdem Deum.

Reſpondeo illegitimam fore conſequentiam, etſi verum eſset antecedens. At illud falſum eſt. Nam repudium uxoris non permiſit approbando, ſed tolerando, ob duritiam cordis, ut Chriſtus in Evangelio expoſuit, *Matth.* 19. „ Quanta enim duritia erat (*inquit S. Auguſtinus lib.* 10. *contra Fauſtum, cap.* 29.) „ quæ nec per libelli interpoſitionem, ubi diſ„ ſuadendi locus juſtis & prudentibus tribueba„ tur, ſolvi & flecti poſset ad recipiendam, „ vel revocandam, conjugis charitatem: ita „ Dominus quid Lex & bonis præciperet, & „ duris permitteret, ejuſdem Legis teſtimo„ nio declaravit, cum & non dimittendam „ uxorem, & eadem ſcriptura commemorata

„ con-

„ conjunctione maſculi & fœminæ monuit, di-
„ vinamque auctoritatem ejuſdem conjunctionis
„ expoſuit: & dandum libellum repudii pro-
„ pter duritiam vel domandi, vel indomiti cor-
„ dis oſtendit.

Objiciebant ſeptimo Marcionitæ verba Apoſtoli 2. ad Corinthios 4. *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*. Ex quibus colligebant alium eſſe Deum hujus ſæculi, qui ſpiritalis cæcitatis, omniumque malorum auctor eſſet; alium bonorum omnium fontem, & ſupra omnem principatum & poteſtatem evectum.

Reſpondet S. Irenæus, in iſto S. Pauli loco, ut in pluribus aliis, hyperbaton eſſe, ſeu vocis tranſpoſitionem, & genitivum iſtud, *hujus ſæculi*, referendum eſſe ad hæc verba, *infidelium mentes*, non ad hoc nomen Deus, eumdemque eſſe iſtius ſententiæ ſenſum, ac ſi dixiſſet Apoſtolus: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſæculi*. Lege S. Irenæum, lib.3. adverſus Hæreſes, c.7. Hanc etiam expoſitionem probat Sanctus Auguſtinus lib.21. contra Fauſtum, cap.2. Nec ideo malum eſſe Deum ſequitur: quia excæcatio illa pœna eſt, quam ipſorum peccatis infligit, *ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, ut ait alicubi S. Auguſtinus. Quod etiam loco mox citato docet his verbis: *Poteſt etiam talis operatio, qua excæcantur mentes infidelium, ſecundum quemdam modum pertinere ad verum Deum; quod non facit malitia, ſed juſtitia &c.*

Re-

Reſpondeo ſecundo, his verbis, *Deus hujus ſæculi*, non intelligi Creatorem, ſed diabolum, qui mentes infidelium malis ſuaſionibus, & tentationibus excæcat. Huic reſponſioni ſuffragatur Sanctus Auguſtinus lib. 21. contra Fauſtum, cap. 9. *Ubi*, inquit, *etiam ſi quis diabolum intellexerit excæcare mentes infidelium, non negamus, malis ſuaſionibus, quibus qui conſentiunt, juſtitiæ lumen amittunt, Deo retribuente, quod juſtum eſt.* Et infra: *Perturbati homines non intelligunt in uno eodemque opere malo non poſtea conſequente alia, quæ manifeſta erit, ſed quadam continuo comitante vindicta, aliud venire de aſtutia ſuadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de juſtitia punientis: cum diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus deſerit.*

Objiciebant nono Marcionitæ. Qui præcepit fornicationem, non eſt bonus Deus: ſed Deus Veteris Teſtamenti præcepit fornicationem, cum dixit Oſeæ Prophetæ: *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Quis igitur eum bonum prædicet?

Reſpondeo, nego minorem. Non enim præcepit Deus Prophetæ, ut cum muliere illa fornicaretur, ſed ut eam, quæ fornicata prius erat, ad meliorem frugem revocatam duceret uxorem, ad Gentium vocationem ſignificandam. Sic reſpondet Manichæis, qui idipſum objiciebant, Sanct. Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum, cap. 80. *Quid enim*, inquit, *adverſum clementiæ veritatis, quid inimicum Fidei Cri-*

Chriſtianæ, ſi meretrix, relicta fornicatione, in caſtum conjugium commutetur? & quid tam incongruum & alienum a fide Prophetæ, quam ſi non crederet omnia peccata impudicæ dimiſſa eſſe in melius commutatæ? Itaque cum meretricem Propheta fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri conſultum eſt; & figuræ Sacramentum, de quo mox loquemur, expreſſum. Lege c.89. ejuſdem libri.

Objiciebant decimo Marcionitæ. Bonus Deus rapinam & fraudem non mandat. Atqui Deus Hebræorum fraudem & rapinam imperavit: igitur malus eſt. Minor evidens eſt. Juſſit enim ſpoliari Ægyptios ab Hebræis.

Reſpondeo, nego minorem. Non enim rapina fuit, ſed merces laborum. Ita reſpondet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap.20. *Repoſcunt*, inquit, *Ægyptii de Hebræis vaſa aurea, & argentea. Contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis ædificatis.* Hac de re conjicit actum utrinque per Legatos, & tandem Ægyptios pretioſæ illi ſupellectili renuntiaſse. Demum ſic colligit: *Igitur ſi bona Hebræorum cauſſa, bona jam & cauſſa, id eſt, mandatum Creatoris, qui Ægyptios gratos fecit neſcientes, & ſuum populum in tempore expeditionis anguſto aliquo ſolatio tacitæ compenſationis expunxit, plane minus exigi juſſit: Hebræis enim etiam filios Ægyptii reſtituere debuerant.*

Sic

Sic & S.Auguſtinus lib.22.contra Fauſtum, cap.71. ubi de Iſraelitis Ægyptios ſpoliantibus hæc habet: *Carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus, Ægyptii vero ſacrilegi, & iniqui: nam & auro illo malo utentes ad Creatoris injuriam, Idolis ſuis ſerviebant: & homines peregrinos labore gratuito injuſte ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant & iſti quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur. Et forte ſecundum ſuas voluntates, & cogitationes, Hebræi magis permiſſi ſunt facere iſta quam juſſi: ſed eis Deus permiſſionem ſuam per famulum ſuum Moyſem innoteſcere voluit, quando mandavit, ut diceret. Fieri autem poteſt ut ſint aliæ cauſæ occultiſſimæ, cur hoc illi populo divinitus dictum ſit: ſed divinis imperiis cedendum obtemperando, non reſiſtendum eſt diſputando.*

Objiciebant undecimo Marcionitæ. Sibi ipſi contrarius eſt Deus Judæorum, contraria ſiquidem præcipit. Prohibet enim operari Sabbato, & jubet nihilominus Arcam circumferri Sabbato in expugnatione Civitatis Jericho. Vetat fieri ſimulacra & Moyſi præcipit extructionem & erectionem ænei Serpentis; effigies Cherubim & Seraphim in Arca fieri imperat.

Reſpondeo, nego antecedens. Prohibuit enim Sabbato Deus opera ſervilia, non vero opera Religionis, & charitatis. Sic reſpondet S. Irenæus lib.4. adverſus Hæreſes, cap.19. *Continere ſe*, inquit, *jubebat eos Lex ab omni opere ſervili, id eſt, ab omni avaritia, quæ per*

per negotiationem, & reliquo actu terreno agitatur: animæ autem opera, quæ fiunt per ſententiam, & ſermones bonos, in auxilium eorum qui proximi ſunt, adhortabatur fieri: & propter hoc Dominus arguebat eos qui injuſte exprobrabant ei, quia Sabbatis curabat. Non enim ſolvebat, ſed adimplebat Legem Summi Sacerdotis operam faciens, propitians pro hominibus Deum, &c.

Sic reſpondet & Tertullianus cap.21.lib.2. contra Marcionem. *Nec Sabbati*, inquit, *inſpicis legem, opera humana, non divina prohibentem. Siquidem, ſex*, inquit, *diebus operare, & facies omnia opera tua; ſeptima autem die, Sabbata Domino Deo tuo, non facies in ea omne opus. Quod? Utique tuum. Conſequens enim eſt, ut ea opera Sabbato auferret, quæ ſex diebus ſupra indixerat: tua ſcilicet, id eſt humana, & quotidiana, Arcam vero circumferre, neque quotidianum opus videri poteſt, neque humanum; ſed & rarum, & ſacroſanctum, & ex ipſo tunc Dei præcepto utique divinum.* Huic ſolutioni S. Auguſtinus ſuffragatur, lib. contra Adimantum, cap.22. Quod ſimulacra ſpectat, Deus illa prohibuit, ut idolatriam cohiberet. Subjicit enim, *Non adorabitis ea. Serpentis autem ænei effigies poſtea præcepta Moyſi a Domino, non ad Idolatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui a ſerpentibus infeſtabantur*, inquit Tertullianus cap.22. libri 2. contra Marcionem. *Sic & Cherubim & Seraphim aurea in Arcæ figuratum exemplum,*

cer-

certe ſimplex ornamentum longe diverſas habendo cauſſas ab Idolatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari.

Objiciebant duodecimo Marcionitæ. Creator inconſtans eſt & ignorans: inconſtans; quia pœnitentiæ obnoxius *Pœnitet quod Regem fecerim Saul.* Jonæ 3. *Pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum ſe Ninivitis, nec fecit*. Ignorans eſt, ut patet ex illis interrogationibus: *Adam ubi es?* & ad Cain, *Ubi eſt Abel frater tuus?* Igitur alius eſt Deus præter Creatorem.

Reſpondeo, nego antecedens. Ad probationem dico, Pœnitentiam longe alio ſenſu Deo tribui quam hominibus. Illi metaphorice, his proprie. Hanc ſolutionem tradit aliis paullo verbis Tertullianus c.24. libri 2. contra Marcionem: *Non enim*, inquit, *ſi hominum ex recordatione plurimum delicti, interdum & ex alicujus boni operis in gratia pœnitet, ideo & Deum proinde. In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat, in tantum nec Pœnitentiæ boni & mali apud eum locus eſt. Nam & hoc tibi eadem Scriptura determinat*, cum nempe de Deo ait: *Non convertetur, neque pœnitentiam aget, quia non ſicut homo eſt ad pœnitendum. Hæc itaque definitio aliam formam divinæ pœnitentiæ ſtatuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni, aut mali operis damnatione reputetur, ſicut humana... Nihil enim aliud intelligitur, quam ſimplex con-*

converſio ſententiæ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione ejus poſſit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis ſententia caret culpa. Nam & in Græco ſono pœnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt, quam apud Deum pro rerum variantium ſeſe occurſu regi oſtendimus. Sic & S. Auguſtinus reſpondet lib. I. contra Adverſarium Legis & Prophetarum, cap. 20.

Porro Deus interrogabat Adam, inquit Tertullianus cap. 25. libri 2. contra Marcionem, *Non incertus admiſſi, neque ignarus loci. Enimvero oportebat conſcientia peccati deliteſcentem, evocatum prodire in conſpectum Domini, non ſola nominis inclamatione, ſed cum aliqua jam tunc admiſſi ſugillatione. Nec enim ſimplici modo, id eſt, interrogatorio ſono legendum eſt, Adam ubi es? Sed impreſſo, & incuſſo, & imputativo, Adam ubi es? id eſt, in perditione es, jam hìc non es, ut increpandi & dolendi exitus vox ſit.* Igitur *Interrogabat Deus quaſi incertus, ut & hìc liberi arbitrii probans hominem, in cauſſa aut negationis, aut confeſſionis, daret ei locum ſponte confitendi delictum, & hoc nomine relevandi.* Idem de Cain dicendum eſt.

FINIS.

DISSERTATIO
De Perſonarum Divinarum Trinitate Contra Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos.

QUÆSTIO UNICA
Utrum ſint revera tres in Deo Perſonæ.

Propositio

Divinarum Perſonarum Trinitatem, utriuſque Teſtamenti Scripturæ, & Traditio contra Sabellianos probant.

Adorandum illud Myſterium probatur primo ex Sacris Veteris Teſtamenti paginis, ex illo nimirum Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram ... Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Ubi alterna illa pluralis & ſingularis numeri uſurpatio, *Faciamus ad imaginem noſtram, dixit Deus, Creavit ad imaginem ſuam*, Trinitatis Myſterium

 non

non obſcure indicant. Figmentum enim eſt, quod reſpondent Judæi, Deum ſecum locutum, & ſe ad agendum excitantem, dixiſſe, *Faciamus &c.* Quod S. Baſilius Homilia 9. in Hexameron diſerte refellit. *Erat*, inquit, *& tunc in iis quæ dicere Judæus ſolet, cuivis obvia, & cognoſcibilis omnibus abſurditas. Quis enim faber, aut ærarius, aut lignarius, ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, interque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, quis*, inquam, *ſibi ipſi admurmurat dicens: Faciamus gladium, aut compingamus aratrum; ac non potius ſilentio, ſuam, cum libuerit, accomodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim inſignes profecto nugæ, unum aliquem invenire qui ſibi imperet, ſive Præceptorem deſidere, ac heriliter ſe ipſum vehementerque urgere, & adhortari.*

Et infra: *Numquid & nunc etiam, dic mihi, Judæe; ſola perinde ut tibi placet, atque unica eſt ipſa perſona? Non enim ſcriptum eſt: Fiat homo, ſed faciamus hominem. Hactenus nondum apparuit quid doceretur, atque ideo in abyſſo divinæ cogitationis præconium hoc celabatur ac tegebatur: deinceps jam ipſius ortus hominis certo expectatur, detegitur parumper ipſa fides, & apertius indicatur iſtius veritas divini Decreti, Faciamus hominem. Audis, o tu, qui bellum indixiſti perpetuum Chriſto, Deum ipſum, ſuum in creandis rebus ſocium alloqui, per quem fecit & ſæcula, qui portat omnia verbo potentiæ ſuæ?*

Fi-

Figmentum rurſus eſt, quod ſecundo reſpondent Rabbini, Deum more Principum pluraliter locutum eſſe; demonſtrandæ cauſſa auctoritatis. Quod egregie refellit Theodoretus Quæſtione 19. in Geneſim, quia *in univerſa plane ſcriptura divina licet audire Deum omnium ſingulari numero loquentem. Raro putem pluraliter ſermonem format, niſi cum innuit numerum Perſonarum Trinitatis. Etenim cum linguas confunderet, non dixit ſingulariter, Deſcendam; ſed venite, deſcendentes confundamus ipſorum linguas. Et hoc igitur loco, quoniam Deus animal rationale formabat, quod poſtea renovaturus erat poſt multas generationes, Sanctæ Trinitatis invocationibus Sacroſanctum Baptiſma inſtituens, cum fabricaturus eſſet Naturam, cui hæc Myſteria crederentur, obſcure identitatem Subſtantiæ, & Perſonarum numerum aperuit. Dum enim* (inquit) *dixit*, Deus, *communionem divinæ Naturæ indicavit: ſubjungens autem illud, Faciamus, expreſſit numerum Perſonarum. Similiter cum iterum ſingulari numero dixit, Imaginem, eamdem eſſe Naturam oſtendit. Non enim dixit, Ad imagines, ſed, Ad imaginem. Cum autem dixit, noſtram, numerum Hypoſtaſeon manifeſtavit.*

Figmentum denique eſt, quod quidam Hæretici reſponderunt, Deum Angelis locutum, cum dixit, *Faciamus*: quod refellit Sanctus Baſilius loco ſupra laudato: *Conſidera*, inquit, *quod continenter ſequitur: Ad imaginem noſtram. Quid ad hæc dicere paras? Num*

A 2 *una*,

unâ, & Dei, & Angelorum, imago eſt? Prorſus Filii, Patriſque forma eadem ut ſit neceſſe eſt. Formam hic ut intelligamus neceſſe ſit, quæ divinam addeceat Majeſtatem: hoc eſt, non lineamentis conſtantem corporeis, ſed in peculiari Numinis proprietate conſiſtentem .... Cui dicit, Ad imaginem noſtram? Cui, quæſo te, alii, quam ei qui ſplendor eſt, gloria, & figura ſubſtantiæ ejus, qui eſt imago Dei inviſibilis? Suæ igitur imagini propriæ, quæ vivit, quæ dixit, Ego & Pater unum ſumus: & qui me vidit, videt Patrem: huic dicit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Ubi una eſt imago, quem locum ibi obtinet diſſimilitudo? Et fecit Deus hominem: non dixit, fecerunt. Evitavit hoc loco Perſonarum multitudinem. Per illa namque Judæum erudiebat: per hæc vero Gentilium excludens errorem, ſecure admodum ad unitatem recurrit: ut & Filium cum Patre intelligas, & multitudinem Deorum longe periculoſiſſimam effugias. Ad imaginem Dei creavit ipſum. Iterum Socii creationis Perſonam adduxit. In his enim non ad imaginem ſuam dixit, ſed ad imaginem Dei.

II. Probatur Perſonarum divinarum pluralitas ex illo Geneſis 19. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cælo*. Quibus verbis, Deum de Deo ſignificari, videlicet Filium a Patre procedentem, a quo ſicut eamdem naturam & potentiam accipit, ſic etiam eamdem operationem ad extra, graviſſimi quique Patres obſervant: & in-

& inter alios Sanctus Juſtinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone. *Etiam nunc non intellexiſtis*, inquit, *Unum ex tribus, & Deum, & Dominum ei qui in cælo eſt adminiſtrare, Dominum duorum Angelorum. Progredientibus enim illis Sodomam, ipſe relictus cum Abrahamo, ei collocutus eſt, quæ deſcripta ſunt a Moyſe. Quo & ipſo poſt colloquium recedente, Abraham in locum ſuum eſt reverſus. Eoque ad Sodomam adveniente, jam non duo Angeli verba cum Lotho conferunt, ſed ipſe; pro eo atque Verbum indicat, atque is Dominus eſt, qui a Domino in cælo, hoc eſt univerſorum Parente, accepit ut hæc inferret Sodomitis & Gomorrhæis, quæ Verbum recenſet, ſic inquiens: Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino, de Cælo.*

Et S. Irenæus libro 3. adverſus Hæreſes cap.6. *Et iterum in everſione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus, ſuper Sodomam, & Gomorrham ignem & ſulphur a Domino, de Cælo; Filium enim hic ſignificat, qui & Abrahæ collocutus ſit, & a Patre accepiſſet poteſtatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum.*

Et Primi Concilii Antiocheni Patres, in Epiſtola Synodica contra Paulum Samoſatenum, *Generavit quidem Filium Pater*, inquiunt, *tamquam actum viventem, & per ſe exiſtentem: omnia in omnibus operantem .... Hunc dicit Sriptura deſcendiſſe, & apparuiſſe Abrahæ, ad quercum Mambre, unum ex tri-*

 bus,

bus, cum quo Patriarcha, tamquam cum Domino & Judice colloquebatur; ut qui omne judicium a Patre accepiſſet, de quo ſcriptum eſt; Dominus pluit ſuper Sodomam & Gommorrham ignem & ſulphur, a Domino de cælo.

Et S. Athanaſius libro contra Gregales, pag.510. *Quis eſt qui ita loquitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum? Non hominis hoc verbum, ſed Dei oſtendentis genuinam ſui ex Patre ſuo procreationem; atque ideo Domini titulum non recuſat. Dominus enim eſt, qui ex ſolo Domino eſt genitus, ut apud Moſen dictum invenies: Pluit Dominus ignem a Domino.*

Et Hilarius lib.4. de Trinit. pag.20. col.2. *Dehinc adeſt in Sodomam & Gomorrham juſta pæna judicii. Et quid tandem momenti in eo eſt? Dominus ſulphur & ignem pluit, a Domino: ut Dominus a Domino, ita non diſcrevit naturæ nomine, quos ſignificatione diſtinxerat. Legimus namque in Evangelio: Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio. Dedit ergo Dominus, quod Dominus accepit a Domino: Sed qui accepiſti, in Domino, & Domino, Judicis cognitionem, cognominis ejuſdem in Deo, & Deo cognoſce conſortium.*

Et Formula prima Concilii Sirmienſis contra Photinum edita, quam Sanctus Hilarius libro de Synodis exponit, & probat, Anathemate 19. ſic habet: *Si quis pluit Dominus a Domino, non de Filio & Patre intelligat, ſed ipſum a ſe dicat pluiſſe, anathema ſit.*

ſit. Pluit enim Dominus Filius, a Domino Patre. Eodem modo hunc Geneſeos locum exponunt alli Patres, quos recenſere longum eſſet.

III. Trinitatis Myſterium probant illa verba Pſalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Nomine Domini intelligitur Pater, cujus eſt Verbum, quique per Verbum operatur prima Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona. Verbum, per quod omnia facta ſunt, Filius eſt ſecunda Perſona. Tertia denique eſt Spiritus oris Dei, cui perfectio divinorum operum ſingulari quadam ratione tribuitur. Unde Sancti Patres ex hoc loco divinarum Perſonarum Trinitatem probant, & inter alios S. Gregorius Nyſſenus, Oratione Catechetica cap.4. *Eſſe enim*, inquit, *Verbum Dei, & Spiritum Dei, poteſtates, quæ conſiſtunt eſſentialiter, & ſunt efficientes eorum quæ facta ſunt, & ea quæ ſunt, continent, ex divinis inſpiratis Scripturis evidenter oſtenditur. Sufficit autem, cum meminerimus unius teſtimonii, plura invenienda relinquere ſtudioſis: Verbo Domini*, inquit, *Cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Quo Verbo, & quo Spiritu? Neque enim dictio eſt Verbum; neque Spiritus anhelitus. Si enim ad noſtræ naturæ ſimilitudinem Deus quoque homo fieret ejuſmodi quoque verbo & ſpiritu uti univerſitatis Opificem ſtatuerint. Quænam autem tanta virtus proficiſcitur a verbis, & a ſpiritu, ut ſufficiat ad cælum conſtituendum & quæ in eo ſunt Virtutes? Si enim noſtræ dictioni Dei Verbum*

eſt ſimile, & Spiritus ſpiritui, ſimilis eſt omnino virtus ex ſimilibus: & quantas noſtrum, tantas vires habet Dei Verbum. Atqui & operatione ſunt carentes, & minime conſiſtentes, qui cum verbis tranſeunt, ſpiritus. Quo fit ut non agentes, & non conſiſtentes illos omnino conſtituant, qui ad noſtri verbi ſimilitudinem Dei Verbum deducunt. Sin autem, ut dicit David, Verbo Dei firmati ſunt cæli, & eorum virtutes conſiſtunt in Dei Spiritu: conſtat ergo Myſterium veritatis, quod dictat eſſe dicendum Verbum in eſſentia, & Spiritum in hypoſtaſi.

IV. Idem Myſterium probat illud Iſ.6. c. *Clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Ubi trina illius vocis, *Sanctus*, repetitio, & *Domini* ſingulare nomen, Perſonarum divinarum Trinitatem in una eſſentia ſignificant. Unde S. Ambroſius lib.2. de Fide ad Gratianum, c.4. hunc locum expendens, ait. *Quid ſibi vult, ſub uno nomine ſanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, niſi quia Pater & Filius, & Spiritus Sanctus ſanctitate unum ſunt? Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret; non bis, ne Spiritum præteriret; non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut oſtenderet Trinitatis unam eſſe Deitatem, cum tertio dixiſſet, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter, Dominus Deus Sabaoth.*

V. Idem Myſterium probat Propheta mox lau-

laudatus c.48.in perſona Meſſiæ dicens: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus miſit me, & Spiritus ejus.* Quæ verba S. Hieron. in ſuis ad iſtum locum Commentariis ſic expendit. *Quando fiebant omnia a Patre, ipſe erat cum eo, qui adaugebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui ſemper eram cum Patre, & in Patre, & ſine Patre numquam eram, etiam nunc loquor & juxta fragilitatem carnis aſſumptæ dico, quod Dominus Deus miſerit me, & Spiritus ejus, brevique verſiculo, Trinitatis nobis oſtenditur Sacramentum.*

Probatur ſecundo ex Novi Teſtamenti locis evidentibus. Namque Trinitatis Myſterium diſerte probant verba Chriſti, Matt. ult. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quo ex loco Tertullianus Praxeæ refellit errorem, c.26. lib. contra illum editi. *Noviſſime mandat*, inquit, *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tingimur.* Quo item ex loco S. Athanaſius Sabellianum errorem coarguit, in Oratione contra Sabellii Gregales. *Nullius igitur*, inquit, *repudians hanc Trinitatem, Unitatem exiſtimet ſe invenire poſſe, ſed in Trinitate unum exiſtimet, habens ſummam fidei in Baptiſmate & tribus ſignaculis ſanctis, per quæ in ſalutem regeneratus eſt.*

II. Ex illo Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi,*

ſed Pater meus qui in cælis eſt. *Quo dicto*, inquit Tertullianus l. contra Praxeam c.2. *utriuſque perſonæ conſtituit diſtinctionem*, *& Filii in terris*, *quem Petrus agnoverat Dei Filium*, *& Patris*, *qui in cælis*, *qui Petro revelaverat*, *quod Petrus agnoverat Dei Filium Chriſtum*.

III. S. Joannis Evangelium paſſim Trinitatem Perſonarum divinarum adſtruit, c.1. *In Principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. *Hoc erat in principio apud Deum* &c. *Et Verbum caro factum eſt*. Quæ verba Tertullianus expendens loco mox laudato, ait: *Nam ſi hoc non aliter accipi licet*, *quam quomodo ſcripta ſunt*, *indubitanter alius oſtenditur*, *qui fuerit a Principio*, *alius apud quem fuit*: *alium ſermonem eſſe*, *alium Deum*; *licet & Deus ſermo*, *ſed qua Dei Filius*, *non qua Pater*: *alium per quem omnia*, *alium a quo omnia*. *Alium autem quomodo dicamus*, *ſæpe jam edidimus*; *quo alium neceſſe eſt*, *non eumdem*, *alium autem*, *non quaſi ſeparatum*, *ſed diſpoſitione alium*, *non diviſione*. *Hic ergo factus eſt caro*, *non ipſe cujus eſt Sermo*. *Hujus gloria viſa eſt*, *tamquam unice a Patre*, *non tamquam Patris*.

Eumdem locum urget Sanctus Athanaſius in Oratione contra Sabellii Gregales. *Si Deus*, inquit, *Verbum in mente habet*, *non autem revera ex ipſo genitum*, *ut Deum ex Deo*, *quomodo eſſe poterit apud Deum Verbum*? *Aut quomodo Deus fuerit*? *Non enim Verbum in men-*

mente hominis conceptum, homo eſt apud hominem, cum nec vivat, nec ſubſiſtat, ſed vivi dumtaxat & ſubſiſtentis pectoris motus ſit, quod mox ut enuntiatum eſt, non ſubſiſtit: & ſæpe vocatum, nequaquam permanet, cum contra Pſalmiſta vociferetur; Dei verbum in æternum permanet: & in ea re illi ſuffragatur & conſonus Evangeliſta eſt, cum Verbum Deum eſſe profitetur, & manifeſtatum eum annuntiat, & adveniſſe indicat, & Incarnatum prædicat, non comprehendens una cum Verbi Incarnatione ipſum Patrem. Verbum enim caro factum eſt.... Unigenitum igitur Verbum in mundo vides manifeſtatum, & in hominibus habitantem, gloriamque illi attribui ut Unigeniti a Patre: non quod ipſe Pater ſit, aut Pater una cum Verbo ſeſe manifeſtaverit, quemadmodum homo ſui ipſius Verbo manifeſtatur.

Et *Joannis* 14. „ Si cognoviſſetis me, „ & Patrem meum cognoviſſetis.... Philippe, qui videt me, videt & Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. „ *Quæ loca Sanctus Athanaſius expendens, in Oratione contra Sabellii Gregales, ait:* „ Si una perſona „ eſt, cur altera emittitur, & per carnem conſpicitur, cum Deum nemo viderit umquam, „ ſed unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, „ ipſe enarraverit, & acceſſerit ad nos, ſuiſque verbis ſui conſpectum exhibuerit: quique ob iſtam ex ſeſe Patris cognitionem, „ inter loquendum ſubjunxerit; Qui videt me,

„ videt & Patrem meum, non ſeipſum Pa-
„ trem, dicens. Qui enim id fieri poſſet,
„ cum Pater ſit inviſibilis? Sed talem ſe di-
„ cit, qualis Pater eſt. Nam ſuperius dixe-
„ rat: Si cognoviſſetis me, etiam Patrem
„ cognoviſſetis, dualitatem Perſonarum ex-
„ preſſis verbis nobis declarans, quæ ex in-
„ commutabili Deitate agnoſci poterat. Quo-
„ circa qui dignus habetur conſpectu Filii, non
„ fraudatur conſpectu Patris. Non enim genitor
„ alienum diſſimilemque de ſe genuit, ſed ſibi
„ conſimilem. Si igitur unum exiſtimas, cum
„ revera duo ſint, Pater, Filius, quæ tibi cum
„ Eccleſiaſtica Doctrina communio ſupereſt?
„ Quomodo voces Domini excipies, Ego &
„ Pater unum ſumus? Ac rurſum de Patre
„ loquens: Ab eo, *inquit*, ſum, & ille me
„ emittit. Addit & tertium, Ego rogabo,
„ *inquit*, Patrem, & alium Conſolatorem da-
„ bit vobis. Cum igitur de ſe loquitur, Ego,
„ *inquit*: Cum de Patre, Ille, dicit. Cur
„ non plane defectionis, & apoſtaſiæ crimen
„ ſit nègare tria, & ſolum illum qui iſta locu-
„ tus eſt, unum eſſe dicere?

Idem Chriſti reſponſum ad Sanctum Philippum urget Tertullianus *libro* contra Praxeam, *cap.*24. „ Vicarium ſe Patris oſtende-
„ rat, per quem Pater & videretur in factis,
„ & audiretur in verbis, & cognoſceretur in
„ Filio, facta & verba Patris adminiſtrante;
„ quia inviſibilis Pater, quod & Philippus di-
„ di-

„ dicerat in Lege, & meminiſſe debuerat: „ Deum nemo videbit, & vivet. Et ideo „ ſugillatur, Patrem videre deſiderans, quaſi viſibilem, & inſtruitur viſibilem eum in „ Filio fieri ex virtutibus, non ex Perſonæ „ repræſentatione. Denique ſi Patrem eumdem Filium vellet intelligi, dicendo, qui „ me videt, Patrem videt: quomodo ſubjicit: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Debuerat enim ſubjunxiſſe, „ Non creditis quia ego ſum Pater? . . . Igitur „ & manifeſtam fecit duarum Perſonarum conjunctionem, ne Pater ſeorſum quaſi viſibilis „ in conſpectu deſideraretur, & ut Filius repræſentator Patris haberetur.

IV. Diſtinctionem realem Perſonarum in Deo probant verba Chriſti, *Joannis* 8. „ Solus non ſum: ſed ego & qui miſit me, Pater. Et in Lege veſtra ſcriptum eſt: Quia „ duorum hominum teſtimonium verum eſt. „ ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui „ miſit me Pater. *Quem locum Tertallianus* „ *urgens adverſus Praxeam, capit.*22. *ait*: „ Quod ſi unus eſſet, dum idem eſt Filius & „ Pater, non uteretur Legis patrocinio, ſidem imponentis, non unius teſtimonio, ſed „ duorum.

Idem teſtimonium urget Sanctus Athanaſius, in Oratione contra Sabellii Gregales. „ En tibi duas perſonas, *inquit*. Et niſi dicas „ vere duos eſſe, cum hæc loquitur, non

„ per-

„ permittis teſtimonium verum exiſtere. Id „ enim teſtimonium confirmat, ſi non ab uno, „ ſed a duobus perhibeatur. Nam & teſtatus „ eſt e cælo Pater, dicens. Hic eſt Filius „ meus dilectus, & ſeſe eſſe Filium Dei, „ Unigenitus ipſe Filius conteſtatum facit: & „ cum Patre ſermonem miſcens, manifeſte in „ auribus hominum loquitur: Confiteor tibi „ Pater, Domine cæli & terræ.

Reſpondebant Sabelliani, duas quidem illo teſtimonio, aliiſque ſimilibus, deſignari perſonas, aliam in Patre Deo, alteram in Filio homine, ſed negabant ſignificari duas perſonas divinas. Quam reſponſionem Sanctus Athanaſius luculentiſſime refellit his verbis „ Et quid „ iſtud differt a reſponſione Samoſatenſis? *in-* „ *quit*. Dicant mihi, quæſo, qua ratione ho- „ minibus iſta de ſe ipſo auſus eſt loqui: Qui „ videt me, videt Patrem? Aut qua ratione „ talia de ſe ipſo loquentem teſtimonio ſuo „ perſequitur Evangeliſta, ubi refert, qui di- „ xerit Patrem ſuum Deum eſſe, æqualem ſe „ Deo faciens? atqui ſi Deus ex Deo eſt, fie- „ ri nequit quin ratione naturæ paria habeat „ cum Genitore ſuo, ut & Paulus teſtatur, „ qui non de humanitate ejus, cum ea aſſum- „ pſit, ſed de iis quæ humanitatem tempore „ antecederent, explanationem facit. Qui „ cum, *inquit*, in forma Dei eſſet, non ra- „ pinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. „ Scimus autem Dominum ſubinde humanitus „ loqui, ſed non ea ratio in iſtis verbis, cum

„ ſic

„ ſic ait: Ego ſum qui teſtimonium perhibeo
„ de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me,
„ qui miſit me, Pater. Non enim eſt homo
„ ille qui miſſus eſt in mundum, & qui dicit:
„ ex Patre egreſſus ſum, & venio: & qui
„ dicit; Ita dilexit Deus mundum, ut & Fi-
„ lium ſuum Unigenitum daret, ut omnis qui
„ in eum crediderit, non pereat, ſed habeat
„ vitam æternam: & qui dicit, Deſcendi de
„ cælo, non ut faciam voluntatem meam,
„ ſed ejus qui miſit me.

V. Perſonarum divinarum diſtinctionem probant illa Chriſti verba *Joannis* 10. „ Pater
„ meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt:
„ & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.
„ Ego & Pater unum ſumus. *Quæ verba Ter-*
„ *tullianus ſic urget contra Traxeam*, *cap.*22.
„ Hic ergo, *inquit*, jam gradum volunt fige-
„ re ſtulti, immo cæci, qui non videant:
„ primo, Ego, & Pater, duorum eſſe ſi-
„ gnificationem; dehinc in noviſſimo, Su-
„ mus, non ex unius eſſe perſona, quod plu-
„ raliter dictum eſt, tum quod, Unum ſu-
„ mus, non, Unus ſumus. Si enim dixiſ-
„ ſet, Unus ſumus, potuiſſet adjuvare ſen-
„ tentiam illorum. Unus enim, ſingularis nu-
„ meri ſignificatio videtur. Adhuc cum duo,
„ maſculini generis. Unum dicit, neutrali
„ verbo, quod non pertinet ad ſingularita-
„ tem, ſed ad unitatem, ad ſimilitudinem,
„ ad conjunctionem, ad dilectionem Patris,
„ qui Filium diligit, & ad obſequium Filii,
„ qui

„ qui voluntati Patris obſequitur. Unum ſu-
„ mus, dicens, Ego & Pater, oſtendit duos
„ eſſe, quos æquat, & jungit.

Eumdem locum urget vehementer Novatianus, *lib. de Trinitate*, *cap.*22. „ Si erat, „ ut Hæretici putant, Pater Chriſtus, oportuit dicere, Ego & Pater unus ſum. At „ cum, Ego, dicit, deinde Patrem infert dicendo, Ego & Pater, proprietatem perſonæ ſuæ, id eſt Filii, a paterna auctoritate diſcernit, atque diſtinguit, non tantummodo de ſono nominis, ſed etiam de ordine „ diſpoſitæ poteſtatis. Qui potuiſſet dicere, „ Ego Pater, ſi Patrem ſe eſſe meminiſſet. „ Et quia dixit, Unum, intelligant Hæretici, quia non dixit, Unus. Unum enim neutraliter poſitum, ſocietatis concordiam, non „ unitatem perſonæ ſonat. Unum enim, non „ unus eſſe dicitur, quoniam nec ad numerum „ refertur, ſed ad ſocietatem alterius expromitur. Denique adjicit, dicens, ſumus, „ non ſum, ut oſtenderet, per hoc quod dixit, ſumus, & Pater, duas eſſe perſonas.

VI. Idem probant Myſterium illa Chriſti verba *Joannis* 12. „ Pater ſalvifica me ex hac „ hora, ſed propterea veni in horam hanc. „ Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo „ vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo „. *Quæ verba Tertullianus adverſus Praxeam ſic urget*: „ Poſtulat Filius de terris, „ Pater promittit a cælis. Quid mendacem facis, & Patrem, & Filium, ſi aut Pater de

„ cæ-

„ cælis loquebatur ad Filium, cum ipſe eſſet
„ Filius apud terras; aut Filius ad Patrem pre-
„ cabatur, cum ipſe eſſe Pater apud cælos?
„ Quale eſt ut Filius item poſtularet a ſemet-
„ ipſo, poſtulando a Patre, ſi Filius erat Pa-
„ ter? aut Pater ſibi ipſe promitteret, pro-
„ mittendo Filio, ſi Pater erat? Ut ſic duos
„ diviſos diceremus, quomodo jactitatis; to-
„ lerabilius erat diviſos, quam unum Deum ver-
„ ſipellem prædicare. Itaque ad iſtos tunc Do-
„ minus pronuntiavit: Non propter me iſta
„ vox venit, ſed propter vos; ut credant hi
„ & Patrem, & Filium, in ſuis quemque ho-
„ minibus, & perſonis, & locis.

VII. Probatur iſtud Myſterium ex verbis Chriſti *Joannis* 14. „ Rogabo Patrem, & alium
„ Paracletum dabit vobis... Paracletus autem
„ Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in no-
„ mine meo, ille vos docebit omnia, ſugge-
„ ret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.
„ *Et cap.* 16. Ille me clarificabit, quia de meo
„ accipiet, & annuntiabit vobis „. *Quæ verba Tertullianus urget cap.* 25. *libri contra Praxeam*. „ Paracletum quoque a Patre ſe poſtu-
„ laturum, cum aſcendiſſet ad Patrem, &
„ miſſurum repromittit, & quidem alium, ſed
„ jam præmiſimus quomodo alium. Ceterum
„ de meo ſumet, *inquit*, ſicut ipſe de Patre.
„ Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Pa-
„ racleto, tres efficit cohærentes, alterum
„ ex altero: qui tres unum ſunt, non unus:
„ quomodo dictum eſt; Ego, & Pater unum
„ ſu-

„ ſumus , ad ſubſtantiæ unitatem , non ad nu-
„ meri ſingularitatem . *Eumdem locum urget cap.9.*

Idem probatur ex Epiſtola 1. S. Joannis , cap.5. *Tres ſunt , qui Teſtimonium dant in cælo , Pater , Verbum , & Spiritus Sanctus ; & hi tres unum ſunt .*

Probatur denique Propoſitio ex Traditione Patrum , qui adverſus Judæos , & illos Hæreticos pugnarunt , teſtimoniis roborata . Occurrit primo S. Ignatius Martyr , cujus hæc ſunt verba in Epiſtol. ad Magneſianos : *Subjecti eſtote Epiſcopo , ut Jeſus Chriſtus Patri ſecundum carnem , & Apoſtoli Chriſto , & Patri , & Spiritui Sancto .* Nam quum dicit Chriſtum eſſe Patri ſubjectum *ſecundum carnem* , aperte indicat , eumdem non eſſe Patri ſubjectum atque adeo inferiorem ſecundum aliam rationem quæ alia niſi divinitas eſſe non poteſt ; hæc autem diſtinctionem perſonarum omnino important . Quod ſi Pater alius a Filio eſt , alius ab utroque eſſe , & Spiritus Sanctus debet .

II. Sanctus Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo , ubi Tryphone indigne ferente , quod Jeſum Deum appellaret , tamquam alius eſſet Deus verus & proprie dictus , quam qui unus a Judæis colitur , quique rerum omnium Conditor eſt , diſerte probat , *eſſe alterum in Sacris Litteris , qui nominatur Deus præter univerſorum Opificem .* Quod innumeris probat Scripturæ locis . Denique confutata eorum opinione , qui vim illam Patris negabant ſub-
dens

dens quoddam eſſe ac ſolidum, ſed efficentiam dumtaxat, neutiquam ab eo perſona diſtinctam, aſſerebant, quemadmodum lucem Solis in terra eſſe dicimus, ſtatuit, *Virtutem illam eſſe Dei, ac Deum a Propheta nuncupari, non ita ut Solis lux ſolo vocabulo numeratur; ſed numero alterum quiddam eſſe: non tamen recisione: tamquam Patris ſubſtantia ſecetur: uti cetera omnia diverſa atque ſecta, non ſunt eadem atque erant ante ſectionem*. Quod etiam declarat exemplo ignis; a quo multi alii accenduntur ignes *non decreſcente illo, unde facta eſt alterius accenſio, ſed in eodem ſtatu permanente.*

III. Sanctus Irenæus lib.5. adverſus Hæreſes, cap.6. ait. *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum eſſe*: deque iis ſcriptum Geneſi. *Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulphur a Domino*. Item Filium eſſe qui cum Moſe collocutus eſt.

Et lib.2. cap.55. *Cognoſcunt enim eum*, inquit, *hi quibus revelaverit Filius: ſemper autem exiſtens Filius Patri, olim & ab initio ſemper revelat Patrem & Angelis, & Archangelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus*.

IV. Dionyſius Romanus Pontifex in Epiſtola contra Sabellianos, cujus præclaram hanc ſententiam refert S. Athanaſius libro de Nicænæ Sinodi Decretis: *Deinceps*, inquit, *adverſus eos dicam, qui dividunt, & ſecant, & evertunt religioſiſſimum dogma Eccleſiæ Dei, Monarchiam in tres quaſdam virtutes partientes, & divinas hypoſtaſes, ac deitates tres. Nam au-*

audio quoſdam apud vos eſſe Inſtitutores, & Doctores divini verbi, qui illius ſunt opinionis Auctores, qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blaſphemat, Filium ipſum aſſerens eſſe Patrem, & e converſo, Patrem eſſe Filium. At iſti tres quodammodo Deos prædicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypoſtaſes peregrinas, a ſe invicem plane ſeparatas. Etenim neceſſe eſt uniri omnium Deo Dei verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam ac ſummam, Deum univerſorum colligi, & cohaleſcere prorſus eſt neceſſe. Quippe Marcionis eſt inſani dogma, in tria principia ſecare, ac dividere: non autem eorum, qui revera Diſcipuli ſunt Chriſti, & Salvatoris diſciplina delectantur. Nam hi Trinitatem a Scriptura Sacra prædicari plane intelligunt: Tres autem Deos, neque in Veteri, neque in Novo Teſtamento doceri.

V. S. Dionyſius Alexandrinus errorem Sabellii ſuis locubrationibus confixit, tanta vi ac vehementia, ut contrarium in errorem abripi viſus ſit nonnullis; a quo ipſum vindicat Sanctus Athanaſius libro de ſententia Dionyſii contra Arianos.

VI. Tertullianus lib. adverſus Praxeam c. 11. diſtinctionem Perſonarum probat ex proceſſionibus. „ Si Filium nominat, *inquit*, Filius „ autem non alius erit, quam qui ex ipſo pro„ diit, ſermo autem prodiit, ex ipſo, hic „ erit

„ erit Filius, non ipſe de quo prodiit. Non
„ enim ipſe prodiit ex ſemetipſo. Porro qui
„ eumdem Patrem dicis, & Filium eumdem,
„ & protuliſſe ex ſemetipſo facis, & prodiiſſe
„ quod Deus eſt . . . . . Aut exhibe probatio-
„ nem, quam expoſtulo, meæ ſimilem, id
„ eſt, ſic Scripturas eumdem Filium, & Pa-
„ tre oſtendere, quemadmodum apud nos di-
„ ſtincte Pater & Filius demonſtrantur: diſtin-
„ cte, *inquam*, non diviſe, ſicut ego profe-
„ ro dictum a Deo; Eructavit cor meum ſer-
„ monem optimum. Sic tu contra opponas,
„ alicubi dixiſſe Deum, Eructavit me cor
„ meum ſermonem optimum: ut ipſe ſit qui
„ & eructavit, & ipſe qui protulerit, & qui
„ prolatus ſit, ſi ipſe eſt & ſermo, & Deus.
„ Ecce ego propono Patrem Filio dixiſſe, Fi-
„ lius meus es tu, Ego hodie generavi te.
„ Si velis ut credam ipſum eſſe Patrem & Fi-
„ lium, oſtende ſic pronuntiatum alibi: Do-
„ minus dixit ad ſe, Filius meus ſum ego,
„ ego hodie generavi me. Quem autem ve-
„ rebatur Deus Dominus univerſitatis ita pro-
„ nuntiare, ſi ita res erat; an verebatur ne
„ non crederetur, ſi ſimpliciter ſe & Patrem,
„ & Filium pronuntiaſſet? Unum tamen veri-
„ tus eſt, mentiri. Veritus autem ſemetipſum,
„ & ſuam veritatem. Et ideo veracem Deum
„ credens, ſcio illum non aliter quam diſpo-
„ ſuit pronuntiaſſe: nec aliter diſpoſuiſſe quam
„ pronuntiavit. Tu porro eum mendacem effi-
„ cias, & fallacem, & deceptorem fidei hu-
„ jus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

„ jus, ſi cum ipſe eſſet ſibi Filius, alii dabat
„ Filii Perſonam, quando Scripturæ omnes &
„ demonſtrationem, & diſtinctionem Trinitatis
„ oſtendant. A quibus & præſcriptio noſtra
„ deducitur, non poſſe unum atque eumdem
„ videri qui loquitur, & de quo loquitur, &
„ ad quem loquitur: quia neque perverſitas
„ neque fallacia Deo congruat, ut cum ipſe
„ eſſet ad quem loquebatur, ad alium potius,
„ & non ad ſemetipſum loquatur.

Et *cap.*14. probat Filium Dei eſſe perſonam diſtinctam a Patre, quia Pater inviſibilis in Scripturis ſacris aſſeritur. Filius autem hominibus viſus eſt, etiam ante Incarnationem.
„ Adhuc, *inquit*, & illa regula nobis adſi-
„ ſtit, duos vindicantibus, Patrem & Filium,
„ quæ inviſibilem Deum determinavit......
„ Invenimus enim & a multis Deum viſum &
„ neminem tamen eorum qui eum viderant,
„ mortuum.... Jam ergo alius erit qui vide-
„ batur, quia non poteſt idem inviſibilis defi-
„ niri qui videbatur; & conſequens erit ut in-
„ viſibilem Patrem intelligamus, pro plenitu-
„ dine majeſtatis; viſibilem vero Filium agno-
„ ſcamus, pro modulo derivationis.

Et *cap.*15. urget idem argumentum. „ Si
„ hunc articulum quæſtionibus Scripturæ Vete-
„ ris non expediam, de Novo Teſtamento ſu-
„ mam confirmationem noſtræ interpretatio-
„ nis; ne quodcumque Filium reputo, in Pa-
„ trem quoque defendas..... Ecce enim &
„ in Evangeliis, & in Apoſtolis, viſibilem
„ & in-

„ & inviſibilem Deum deprehendo ſub mani-
„ feſta & perſonali diſtinctione conditionis
„ utriuſque. Exclamat quodammodo Joan-
„ nes: Deum nemo vidit umquam, utique
„ nec retro. Ademit enim temporis quæſtio-
„ nem, dicendo Deum numquam viſum:
„ confirmat & Apoſtolus de Deo, Quem ne-
„ mo vidit hominum, ſed nec videre poteſt,
„ ſcilicet quia morietur, qui viderit. Idem
„ ipſi Apoſtoli, & vidiſse ſe Chriſtum, &
„ contrectaſse teſtantur. Porro ſi ipſe eſt Chri-
„ ſtus, & Pater, & Filius, quomodo viſus
„ eſt & inviſus?

Et capit. 27. probat Filium eſse alium a Patre, quia unctus eſt, & non a ſemetipſo, ſed a Patre. „ Si Pater Chriſtus eſt, *inquit*,
„ Pater unctus eſt, & utique ab alio. Aut ſi
„ a ſemetipſo, proba. Sed non ita docent
„ Acta Apoſtolorum, in illa exclamatione Ec-
„ cleſiæ ad Deum: Convenerunt enim univer-
„ ſi in iſta Civitate adverſus ſanctum Filium
„ tuum Jeſum, quem unxiſti. Ita & Filium
„ Dei Jeſum conteſtati ſunt, & Filium a Pa-
„ tre unctum. Ergo Jeſus idem erit Chriſtus,
„ qui a Patre unctus eſt; non Pater, qui Fi-
„ lium unxit.

Denique cap. 31. ſic ſuam adverſus Praxeanos diſputationem concludit: „ Ceterum
„ Judaicæ fidei iſta res, ſic unum Deum cre-
„ dere, ut Filium Dei adnumerare nolis, &
„ poſt Filium, Spiritum. Quid enim erit in-
„ ter nos & illos, niſi differentia iſta? Quod
„ opus

„ opus Evangelii? Quæ eſt ſubſtantia Novi Te-
„ ſtamenti; ſi non exinde Pater, & Filius,
„ & Spiritus, tres crediti, unum Deum ſi-
„ ſtunt? &c.

VII. Novatianus lib. de Trinitate, cap. 1. 12. 21. & 22. tres in Deo Perſonas diſerte adſtruit contra Sabellium.

VIII. S. Athanaſius in Oratione contra Sabellii Gregales, divinarum Perſonarum Trinitatem ex Scripturis ſacris luculenter probat; atque inter alia, hæc habet. „ Nam & Pater
„ ſuum eſſe ad plenum poſſidet, & citra ullum
„ defectum radix & fons Filii, & Spiritus San-
„ cti. Itidem quoque Filius eſt, vivitque in
„ plena integraque deitate, ut Verbum & ger-
„ men Patris ſui, citra ullum defectum. Ple-
„ nus quoque Filio Spiritus Sanctus, non pars
„ alicujus, ſed integer per ſe, atque ita vere
„ Trinitas coadunata eſt ſine ullis intervallis.
„ Nihil enim eſt quod illos diſtineat; coexi-
„ ſtunt æternaliter, cum nullum ævum inter-
„ cedat. Formam porro unam & eamdem ex
„ ſe reddunt, Patre quidem in Filio ſpectabi-
„ li, Filio vero & in Spiritu intelligibili, &
„ ab homine in participatum recepto.

IX. S. Baſilius Epiſtola 64. ad Neocæſareenſes Eccleſiæ Doctores data, Sabellii errorem luculenter etiam expugnat. *Judaiſmus eſt*, inquit, *Sabelliſmus iſte, ſub prætextu Chriſtianiſmi in Evangelicam prædicationem ſubinvectus. Qui enim tres illas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti perſonas rem dixit eſſe unam,*

unam, unamque trium poſuit hypoſtaſim, quid aliud fecit? An non ſempiternam, quæ ante ſæcula fuit, Unigeniti eſſentiam negat? Negat ſimul & per diſpenſationem illius ad homines adventum, deſcenſumque ad inferos, reſurrectionem, & judicium. Negat autem & proprias ac diſcretas Spiritus operationes.

Denique legendus eſt S. Epiphanius Hæreſi 55. & 62.

Objicitur primo in gratiam Sabellianorum. Deus, Iſaiæ cap. 44. ſic de ſeipſo loquitur: *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum*. Sed non extendiſſet cælos ſolus, ſi tres in Deo eſſent perſonæ: videtur ergo ſequi tres in Deo non eſſe Perſonas.

Reſpondeo, nego minorem. Dictio enim excluſiva, *Solus*, ibi conſortium creaturarum excludit, non conſortium & ſocietatem divinarum Perſonarum. Sic Tertullianus reſpondet libro contra Praxeam, c. 19. *Quantum ad ceteras virtutes ſolus*, inquit, *præſtruens adverſus conjecturas hæreticorum, qui mundum ab Angelis & Poteſtatibus diverſis volunt ſtructum; qui & ipſum Creatorem aut Angelum faciunt, aut ad alia quæ extrinſecus, ut opera mundi, ignorantem quoque ſubornatum. Aut ſi ſic locus extendit, quomodo iſti præſumunt in perverſum Hæretici, quaſi ſingularis non admittatur Sophia illa, dicens: cum pararet cælos, ego aderam illi ſimul . . . . . Sed & Evangelium recuſetur, quod dicat: Omnia per ſer-*

monem a Deo facta eſſe, & ſine eo nihil factum. Niſi enim fallor, & alibi ſcriptum eſt, Sermone ejus cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnes virtutes eorum. Et: Sermo autem Virtus & Sophia, ipſe erit Dei Filius. Ita ſi per Filium omnia: cælum quoque per Filium extendens, non ſolus extendit, niſi illa ratione, qua a ceteris ſolus.

Objectio ſecunda petitur ex verbis Chriſti, Joannis 17. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Ergo ſolus Pater Chriſti eſt verus Deus, adeoque unica eſt in Deo perſona.

Reſpondeo nego conſequentiam. Nam ſolus Deus verus nominatur Pater, non ut aliæ Perſonæ divinæ removeantur, ſed ut ii tantummodo, qui ejuſdem non ſunt naturæ, & falſo ab hominibus putabantur Dii, excludantur. Sic explicat hunc locum S. Athanaſius, Oratione quarta contra Arianos, p.257. *Quapropter*, inquit, *cum Pater ſolus Deus & verus appellatur, non ad exauthorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego ſum veritas, ſed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non ſunt, qualis eſt Pater, & Patris verbum, neque veri Dii ſunt. Ita enim illi in more eſt, in mentione alterutrius ſe cum Patre conjungere: quale eſt cum dicit, Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum, qui ſi creatura eſſet, non ita cooptaſſet ſe, aut connumeraſſet cum ſuo Creatore. Quæ enim communio aut ſocietas vero, & non vero?*

Nunc

Nunc autem qui ſe cooptat Patri , oſtendit ſe naturæ Patris eſſe , deditque nobis , ut illum cognoſceremus eſſe veri Dei verum germen. Ita etiam explicat S. Epiphanius Hæreſi 62. ubi componit illa Chriſti verba , *Ego ſum lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* cum his , *Ut cognoſcant te ſolum Deum verum* ; aitque , quod ſicut non ſequitur Patrem non eſſe lucem veram , quia Chriſtus de ipſo non dixit , Eſt lux vera , ſed ſimpliciter , Deus lux eſt : Ita non ſequitur Filium non eſſe verum Deum , licet Pater dicatur ſolus verus Deus.

Reſpondeo ſecundo , has voces , *Solum verum Deum* , ad Chriſtum æque pertinere , ac ad Patrem , ut ſit ſenſus : *Ut cognoſcant te , & quem miſiſti , Jeſum Chriſtum , ſolum eſſe verum Deum.* Ita hæc verba intellexit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 36. *Verum* , inquit , *hæc verba , Ut cognoſcant te ſolum verum Deum , ad eorum qui quamquam falſo , Dii tamen appellantur , ſublationem dici exiſtimo. Neque enim adjectum fuiſſet : Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum , ſi ad eum oppoſita diſtinctione ſubmovendum , illa Solum verum , pertinerent , ac non de communi utriuſque divinitate ſermo eſſet.* Sic expoſuit & S. Cyrillus lib. 2. in Joannem , cap. 5. *Cum unum* , inquit , *& verum dixit Patrem ac Deum , non excluſit ſeipſum. Nam cum in ipſo ſit , & ex ipſo , ſecundum naturam , verus etiam idem erit , ac ſolus in ſolo. Præter ipſum enim nullus Deus verus erit , ac*

ſclus. Dii enim Gentium, dæmonia. Multis itaque Diis, qui falſo Dii creduntur, unus ac verus Deus opponitur, & qui in ipſo & ex ipſo eſt ſecundum naturam, Filius. Sic & S. Ambroſius lib. 5. de Fide, cap. 1. *Conjunctione illa*, inquit, *& Patrem utique copulavit & Filium, ut Chriſtum verum Deum a majeſtate Patris nemo ſecernat. Numquam enim conjunctio ſeparat. Et ideo dicendo: Ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, & Sabellianos interfecit, & Judæos excluſit: ne aut illi eumdem Patrem putarent eſſe quem Filium, ſi non addidiſſet & Chriſtum: aut iſti a Patre Filium ſepararent. Quæro autem cur non putas ſubaudiendum, & ex ſuperioribus colligendum, ut quod præmiſit, ſolum verum Deum Patrem, ſubaudiamus etiam, Jeſum Chriſtum ſolum verum Deum? Exprimendum enim aliter non fuit, ne duos Deos dicere videretur.* Sic etiam exponit S. Aug. lib. 3. contra Maximinum Arianum, & Tractatu 105. in Joannem.

Objectio tertia petitur ex Apoſtolo 1. ad Corinthios 8. dicente: *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii ſive in cælo, ſive in terra, ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus Pater ex quo omia, & nos in illum: et unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, et nos per ipſum.* Et ad Epheſios 4. *Unus Deus et Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Una eſt igitur dumtaxat in Deo Perſona, ſcilicet Pater.

Reſp.,

Reſp., nego conſequens. Unus enim Deus aſſeritur ab Apoſtolo, ut Deos gentium excludat, non ut Filium removeat, & Spiritum Sanctum. Sicut enim Pater non excluditur ab appellatione unius Domini, quamvis Filius *Unus Dominus* nuncupetur: ita Filius non removetur ab appellatione *unius Dei*, quamvis Pater dicatur unus Deus. Ita reſpondet S. Epiphanius Hæreſi 57. ubi illis Apoſtoli teſtimoniis, quæ Noetus objiciebat, prolatis, ait: *Nonne his verbis unum ſignificari principium vides? Ne animum noſtrum ad plura cogitanda principia converteret, ac mortalium ingenia vaniſſima illa Deorum multitudine decepta, rurſus ad eamdem aſſerendam copiam adduceret. Vides enim quemadmodum uno nomine ſit uſus, & appellatione una: non ut Unigenitum Deum abnegaret: Dominum quippe eſſe illum intelligit, eumdemque Deum. Ideo ſingulari quadam cautione illud adjecit: Et unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia. Quod cum voci illi, Dominus, præcipue affinxit, non eumdem indicavit eſſe Patrem, eumdemque Filium. Nam & cum de Patre loquens, unum Deum eſſe dixit, nequaquam Filio divinitatem detraxit. Nam ſi Deus non eſt, neque Dominus eſt: cum autem Dominus ſit, Deus quoque ſit oportet.*

Et infra: *Nam neque cum de Patre agens, Unus Deus*, inquit, *ex quo omnia, eſſe illum Dominum negavit. Neque contra ſubjiciens: Et unus Dominus Jeſus Chriſtus: hunc eſſe Deum inficiari voluit. Sed quemadmodum in Patre,*

una appellatione contentus, hoc tantum dixit, UNUS DEUS, *qua voce etiam altera, Dominus, continetur; ita in Filio*, UNUS DOMINUS, *dumtaxat expreſſit: qua cum voce, Dei quoque eſt appellatio conjuncta*. Ita etiam hæc loca Apoſtoli explicat S. Ambroſius lib.5. de Fide, cap.2. *Quemadmodum*, inquit, *cum legimus Dominum Jeſum, nec Patrem a dominationis jure ſecernimus, quod ei commune cum Filio eſt: ita cum legimus Solum verum Patrem, nec Filium a ſolius veri Dei jure poſſumus ſeparare, quod ei commune cum Patre eſt*.

Cur autem Apoſtolus eo loco Jeſum Chriſtum Deum diſerte & aperte appellare noluerit, neque Patrem Dominum, ratio eſt, quia cum illis agebat hominibus, qui nuper a Gentili ſuperſtitione in plures Deos effuſa, ad unius Dei profeſſionem tranſierant, quibus proinde tamquam infantibus lac doctrinæ Chriſtianæ propinandum erat, non altiora dogmata ſtatim proponenda, & præſertim Dei ac Domini multiplex appellatio, ne plures eſſe Deos ac Dominos ſuſpicarentur, ſeque antiquam non deſeruiſſe ſuperſtitionem, ſed mutaſſe. Lege Sanctum Chryſoſtomum Homilia 20. in Epiſtolam 1. ad Corinthios.

Eodem modo exponenda ſunt illa Dei verba apud Iſaiam, cap.45. *Ego ſum Deus, & non eſt alius præter me*. Filium etenim his verbis non excludi ex eo conſtat, quod ipſi quoque Dei nomen tribuat Propheta, cap.9. *Parvulus enim*, inquit, *natus eſt nobis, & Filius da-*

datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi. Quæ verba verum, ſummum, ac præpotentem Deum deſignant. Solum igitur removet Propheta Deos Gentium, ut explicat Tertullianus libro contra Praxeam, c.17. *Non Filium negat, inquit, ſed alium. Puta Solem dicere: Ego Sol, & alius præter me non eſt, niſi radius meus; nonne denotaſſes vanitatem? quaſi non & radius in Sole deputetur. Itaque præter ſemetipſum non eſſe alium Deum, hoc propter idololatriam, tam Nationum quam Iſraelis: etiam propter Hæreticos, qui ſicut nationes manibus, ita & ipſi verbis, idola fabricantur, id eſt, alium Deum, & alium Chriſtum. Igitur & cum ſe unum pronuntiabat, Filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Chriſtus veniſſe credatur, ſed ab illo, qui prædixerat: Ego Deus, & alius abſque me non eſt; qui ſe unicum, ſed cum Filio oſtendit, cum quo cælum ſolus extendit.*

Objicitur quarto. Nullus alius Deus eſt, quam qui dictus fuit Deus Abraham, Iſaac & Jacob, Deus Iſraelitarum; atqui hic nullus alius eſt præter Patrem: igitur nulla alia eſt Perſona divina a Patre.

Probatur minor ex iis Scripturæ locis, in quibus Deus ille Iſraelitarum a Jeſu Chriſto diſcernitur, ut Actuum 3. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Jeſum.* Et

Epiſtolæ ad Hebræos cap.1. idem ille Deus, qui per Prophetas antea locutus fuerat. *Noviſſime locutus in Filio* dicitur.

Reſpondeo diſtinguo minorem: Hic nullus alius eſt Deus præter Patrem, concedo: Filius enim & Spiritus Sanctus non ſunt alius Deus a Patre. Hic nulla alia Perſona eſt præter Patrem, nego. Deus igitur Abraham, Iſaac, & Jacob, tota Trinitas eſt, ſed non diſtincte expreſſeque per omnes cognita Perſonas vulgo Judæorum, ſed eximiis dumtaxat, & inſignibus quibuſdam ex illo populo viris, ut Patriarchis, & Prophetis. Perfectior enim et explicita Sanctiſſimæ Trinitatis notitia, Chriſtianis temporibus ſervabatur. Cujus rationem SS. Patres repetunt ex divinæ providentiæ ſuavitate, quæ hominum captui ſeſe accomodavit, & per gradus quoſdam ac mutationes, illos ad Evangelium ſenſim perduxit. Qua de re S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. pagina 608. ſic loquitur: *Vetus Teſtamentum, Patrem aperte prædicabat, Filium obſcurius: Novum autem nobis Filium perſpicue oſtendit; & Spiritus divinitatem ſubobſcure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat Patris divinitate nondum confeſſa, Filium aperte prædicari: nec Filii divinitate nondum admiſſa, Spiritum Sanctum nobis ingeri; ne alloqui velut cibis ultra vires gravati, ac ſolis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque quibus præditi eramus, viribus pe-*

periclitaremur : quin tacitis potius acceſſionibus , & ut David loquitur , aſcenſionibus , atque ex gloria in gloriam progreſſionibus & incrementis , Trinitatis lumen ſplendidius illuceret .

Theodoretus in libro De Curatione Græcarum Affectionum , Sermone 2. aliam rationem affert , cur in Teſtamento Veteri , obſcurius adumbratum fuerit Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium ; quia *Cum Judæi in Ægypto diutiſſime verſati eſſent , multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didiciſſent , Sapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſte omnia Trinitatis Myſteria tradidit , ne multitudinis Deorum occaſionem ſumerent , ad impietatem propendentes . Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum penitus occultavit , perfectioris Theologiæ quaſi ſemina quædam diſpergens .*

Non abſimilem hujus rei profert rationem S. Cyrillus Alexandr. l.9. Commentariorum in Joannem , illa Chriſti verba exponens : *Si cognoviſſetis me , & Patrem meum utique cognoviſſetis , & amodo cognoſcetis eum .* Ibi enim vim illius vocis , ἀπάρτι , id eſt , *amodo* ſic declarat . *Lex enim Moſaica* , inquit , *Filiis Iſrael inclamabat : Dominus Deus tuus , Dominus unus eſt : neque veteribus de Filio mentionem faciebat : ſed a multorum Deorum cultu eos dumtaxat abſtractos , ad unius adorationem vocabat . Dominus autem noſter Jeſus Chriſtus , cum homo factus eſt , per multa ſigna & opera manifeſtavit nobis , per ſeipſum , Patrem , unamque*

oſtendit Deitatis naturam in Sancta Trinitate vere ſubſiſtentem.

Objectio quinta petitur ex illis verbis Iſaiæ cap.45. *Tu es Deus*, *& neſciebamus*, *& tibi ſervierunt*, *& ibunt poſt te vincti manicis*, *& in te orabunt* : *quoniam in te Deus eſt*, *& non eſt Deus præter te*. Una igitur dumtaxat in Deo perſona eſt.

Reſpondeo, nego conſequens. Excluditur namque his verbis multitudo Numinum, ſed non removetur, immo potius intelligitur pluralitas perſonarum, ut oſtendit S. Epiphanius Hæreſi 57. ubi expendens hæc verba: *Quoniam in te Deus eſt*, ait, *In quo vero alio*, *quam in paterno Verbo Deum ineſſe dicemus? Vere quippe Deus Verbum Filius eſt*: *in eoque cognoſcitur Pater*, *quemadmodum ipſe teſtatur*; *Qui vidit me*, *vidit & Patrem*. Denique hæc verba. *Ego ſuſcitavi Regem cum juſtitia*, quæ ſententiam in objectione relatam, in illo Iſaiæ loco, antecedunt, propriam Patris Æterni vocem repræſentant, *Qui*, ut S. Epiphanius ibidem notat, *verum ex ſeſe Verbum excitans*, *Regem omnium conſtituit*: *cum ſcilicet*, *quem vere ex ſe*, *ſine ullo initio ac tempore genuit*. *Qui quidem eumdem rurſus Regem excitavit*, *ut Apoſtolus his verbis expreſſit*: *Quod ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Chriſtum a mortuis*, *habitat in vobis &c*. *At cum dicit*: *In te Deus eſt*: *quanto cum Myſterio*, *quamque admirabiliter omnia Scriptura proponit? Etenim in carne*, *velut in Templo quodam providebatur*, *atque ho-*

hominum ſpei, per converſionem ad Deum, oſtendebatur divinitas. Siquidem Dei Filius, ac Deus, ipſe Verbum, quaſi in ſancta quadam Urbe, religioſoque Templo, nimirum in aſſumpta hominis natura Deus exiſtens, ita loquitur: Solvite Templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

Objectio ſexta depromitur ex illis Dei verbis, Iſaiæ 44. *Ego ſum primus et noviſſimus, et abſque me non eſt Deus.* Atqui non eſſet primus & noviſſimus, ſi tres esſent in Deo perſonæ: unica igitur in Deo videtur esſe perſona.

Reſpondeo, nego minorem. His enim verbis plures Dii, non vero plures perſonæ excluduntur, ut S. Epiphanius reſpondet, Hæreſi 62. „ Nimirum plures Dii nequaquam exi„ ſtunt, *inquit*, ſed unus dumtaxat primus „ ac poſterior, Pater, Filius, & Spiritus „ ſanctus. Non ut confuſio quædam Trinitas „ illa ſit, aut ab unitate ſua diſcreta: ſed Pa„ ter Filium vere genuit & Filius vere a Patre „ genitus, in perſona ſua ſubſiſtens, initii om„ nis expers ac temporis. Item Spiritus San„ ctus a Patre & Filio, & eadem divinitate „ præditus a Patre procedit, & a Filio ſem„ per accipit; unus Deus, primus ac poſte„ rior „. Notat ibidem S. Epiphanius, contra Judæos, qui Chriſtum venientem repudiaturi erant, & Meſſiam alterum expectaturi, Deum hæc verba dixiſse: *Ego ſum primus et noviſſimus. Primus ſcilicet, qui huc carne præ-*

ditus advenit, et noviſſime venturus judicare vivos et mortuos.

Objicitur 7. Ubi ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi tres Dii ſunt. Porro tres Deos admittere impium eſt: igitur & tres perſonas.

Reſpondeo, nego majorem: „ Nos enim „ qui & tempora & cauſsas Scripturarum, per „ Dei gratiam, inſpicimus, duos quidem de„ finimus, Patrem & Filium, & jam tres cum „ Spiritu Sancto, ſecundum rationem œcono„ miæ, quæ facit numerum: duos tamen „ Deos & Dominos numquam ex ore noſtro „ proferimus „, inquit Tertullianus capit. 13. libri adverſus Praxeam: ubi & addit: „ Cete„ rum ſi ex conſcientia, qua ſcimus Dei no„ men & Domini, & Patri, & Filio, & „ Spiritui convenire, Deos & Dominos nomi„ naremus, extinxiſsemus faces noſtras, etiam „ ad martyria timidiores, quibus evadendi „ quoque pateret occaſio, jurantibus ſtatim „ per Deos & Dominos, ut quidam Hæreti„ ci, quorum Dii plures.

Reſpondeo 2. diſtinguo majorem: Ubi ſunt tres Perſonæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi tres Dii ſunt: ſi diviſa ſit in illis divinitas, concedo; ſi una & individua ſit ipſarum natura, nego. At in tribus Perſonis una eſt numero divinitas: qua de re Sanctus audiendus Athanaſius in Expoſitione Fidei: „ Neque tres „ Hypoſtaſes, *inquit*, ſeparatim diviſas, uti „ corporum more in hominibus, cogitare li-

„ cet,

,, cet, ne quemadmodum Gentiles, Deorum
,, multitudinem inducamus ,,. Quod ſubinde appoſita ſimilitudine declarat: ,, Ut enim fluvius ex fonte ortum habens ab eo non dividi-
,, tur, nam una amborum eſt aqua: quamvis
,, formæ duæ ſint duoque nomina; ſic neque
,, Pater Filius eſt, neque Filius Pater. Siqui-
,, dem Pater, Filii Pater eſt; & Filius, Pa-
,, tris Filius. Atque ut fons non eſt fluvius,
,, neque fluvius fons; ſed ambo una eademque
,, ſunt aqua quæ ex fonte manat in fluvium,
,, ita divinitas, quæ ex Patre transfunditur in
,, Filium, perenniter & ſine diviſione conti-
,, nuatur.

Contra. Gentilium Philoſophi, divinitatem unam agnoverunt, & plures nihilominus profeſſi ſunt Deos: apud nos univerſum genus eſt una humanitas, & tamen ſunt homines plures, quia ſunt plures perſonæ: igitur plures eſſe Deos conſequens eſt, ſi ſint plures Perſonæ divinæ, quamvis una in ipſis divinitas adoretur.

Reſpondeo, nego conſequens, & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quia non perinde una eſt divinitas in tribus Perſonis, ut in Diis Gentilium; vel ut natura communis in pluribus eſt individuis una, ſola ſcilicet ratione; ſed re ipſa una eſt, ſingularis, neque numero diviſa. Nam humanæ in individuis naturæ *Communitas unitatem habet cogitatione ſola conſiderabilem: ſingularia autem, & tempore & affectionibus; atque adeo potentia & facultate, plurimum inter*

ter ſe diviſa ſunt. Sed divinarum quælibet Perſonarum *Unitatem habet, non minus ejus cum qua conjungitur, quam ſui ipſius reſpectu, propter eſſentiæ, & potentiæ identitatem*: (ut ait S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 37.)

Contra. Tres Perſonæ ſunt unus Deus, ſicut Petrus, Paulus, & Joannes ſunt unus homo, ex S. Gregorio Nyſſeno in Epiſtola, ſeu in libro ad Ablavium: quo etiam exemplo uſus eſt S. Baſilius: atqui Petrus, Paulus, & Joannes, ſunt tantum unus homo ſecundum rationem, ſunt vero plures homines reipſa, quia plures ſunt perſonæ: igitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres Dii ſunt, ſi tres Perſonæ ſint reipſa diſtinctæ.

Reſpondeo, ſimilitudinem illam, qua uſi ſunt laudati Patres in ſubjecta materia, non eſſe accuratam. Eſt enim arctior Naturæ divinæ unitas in tribus Perſonis, quam naturæ humanæ in pluribus individuis. Hæc enim unitas dumtaxat convenientiæ eſt ac ſimilitudinis: illa vero, unitas individua, ſimpliciſſima, & infinita: quam etſi Patres agnoverint, & adſtruxerint, aliquando, ipſam tamen interdum œconomiæ cauſſa diſſimularunt: unitatemque ſpeciei humanæ propriam in exemplum protulere. Hac autem eo lubentius uſi ſunt ſimilitudine, quo & ad Arianam hæreſim refellendam ſufficiebat; & ad Sabellianum errorem confodiendum accomodatior videbatur.

Præterea, S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Ablavium, huius explicandæ unitatis eju-

ejuſdem eſſentiæ divinæ in tribus Perſonis rationi ita conſtanter non adhæret, ut neget commodiores alias afferri poſſe. Immo profitetur maximas habiturum ſe gratias illis, qui divinæ gratiæ lumine illuſtrati, faciliorem viam difficillimæ quæſtionis utcumque exponendæ invenerint. Unde iniqui non erimus in S. Gregorium Nyſſenum, nec venerationi ipſi debitæ deerimus, ſi ejus explicatione poſthabita, aliam afferamus. En ejus verba: „ Igitur quæſtio „ quidem tractatu multum difficilis eſt: nobiſ- „ cum vero, ſiquidem aliquid tale poſſemus „ invenire, per quod mentis noſtræ ambigui- „ tas firmaretur, & non amplius ad abſurdum „ dilemma dubia vacillaret, atque penderet, „ præclare ageretur: ſin autem veſtra oratio „ propoſita quæſtione infirmior arguatur; tra- „ ditionem quidem, quam a Patribus per ſuc- „ ceſſionem accepimus, ſervavimus in perpe- „ tuum firmatam, & immotam: orationem „ vero quæ Fidei patrocinetur, a Domino re- „ quiremus: quæ ſi ab aliquo eorum, qui gra- „ tia præditi ſunt, inventa fuerit, gratias age- „ mus ei qui gratiam dederit: ſin minus id no- „ bis contigerit, nihilo ſecius in iis quæ de- „ creta atque ſtatuta ſunt, Fidem ſtabilem & „ firmam retinebimus.

Tertio. Ipſa Epiſtolæ S. Gregorii Nyſſeni ad Ablavium inſcriptio ſatis oſtendit, illum Tritheitarum errorem execrari. Hunc ſiquidem titulum præfert: *Quod non ſunt tres Dii*.

Quarto. Idem S. Gregorius in Oratione Ca-

Catechetica cap. 3. ait, quod in Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis „ Naturæ unitas non admit-
„ tit diviſionem: adeo ut neque Monarchiæ
„ dominatus ſcindatur in diverſas diſſectus uni-
„ tates, neque congruat id quod dicitur cum
„ Dogmate Judaico: ſed per medium duarum
„ opinionum procedat veritas, & utramque
„ tollens hæreſim, & ab utraque accipiens id
„ quod eſt uſui. Nam Judæi quidem dogma
„ tollit, & Verbum admittendo, & creden-
„ do Spiritum: eorum autem qui ſtant a Græ-
„ cis aboletur error multorum Deorum; ea
„ quæ eſt ſecundum Naturam unitate circum-
„ ſcribente, & arcente multorum phantaſiam.
„ Rurſus autem ex Judaica opinione maneat
„ Naturæ unitas: ex eo autem quod Græci opi-
„ nantur, ſola diſcretio in hypoſtaſibus, im-
„ piæ opinioni utrinque congruo adhibito re-
„ medio. Eſt enim veluti quædam medicina,
„ eorum quidem, qui in uno aberrant, nume-
„ rus Trinitatis: eorum autem qui ſunt diſperſi
„ in multitudinem ratio Unitatis.

Eamdem Theologiam tradit S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 18. „ Aut ſilentio, *inquit*,
„ honorantur ineffabilia, aut pie numerantur
„ Sancta. Unus Deus & Pater, & unus uni-
„ genitus Filius, & unus Spiritus Sanctus.
„ Unamquamque Perſonam ſingulariter efferi-
„ mus: ceterum ubi numerandum eſt, haud-
„ quaquam indocte numerando eas proferimus,
„ quaſi plures Deos intelligamus. Neque enim
„ juxta compoſitionem numeramus ab uno ad
„ plu-

„ plura facientes incrementum, ut dicamus, „ unum, duo, tria; neque primum, ſecundum, ac tertium. Ego enim Deus primus, „ & ego poſterior. Secundum autem Deum „ numquam ante hac, ac ne hodie quidem „ audimus, eo quod Deum ex Deo adorantes „ etiam proprietatem profitemur Perſonarum, „ manemuſque in uno Principatu, non diſſipantes divinæ Naturæ rationem in multitudinem „ ſubdiviſam: eo quod unam in Deo Patre, „ & Deo Unigenito formam contemplamur, „ inſeparabili Deitatis eſſentia unitam. Filius „ enim in Patre, & Pater in Filio, quandoquidem hic talis eſt, qualis ille; & ille qualis hic: atque hac quidem in parte unum „ ſunt. Itaque juxta Perſonarum proprietatem, unus ſunt, & unus: at juxta communem Naturam, unum ſunt ambo. Quomodo igitur ſi unus, & unus ſunt, non ſunt „ duo Dii? Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges. Neque enim „ poteſtas ſcinditur, neque gloria dividitur.

Objectio octava conſtat rationibus Michaelis Serveti, qui Sabellii hæreſim poſtremo ſæculo ſuſcitavit, necnon Tranſylvanorum, qui ejus impietatem ſectati ſunt. 1. Aut perſona in Deo finita eſt, aut infinita; ſi infinita, ergo una tantum; ſi finita, ergo infinitæ Perſonæ admittendæ ſunt, quæ divinæ eſſentiæ infinitudini reſpondeant.

Secundo. Vel Pater genuit Filium exiſtentem, vel non exiſtentem; ſi primum, fru-

ſtra

ſtra genitus eſt: ſi ſecundum, aliquando non fuit Dei Filius. Plures igitur non ſunt in Deo Perſonæ unius & ejuſdem eſſentiæ. Antecedens conſtat, alterutram enim disjunctionum veram eſſe neceſſe eſt.

Tertio. Generare eſt ſumma perfectio in vivente: hanc autem perfectionem Pater habet, Filius non habet: non ſunt igitur ejuſdem perfectionis & eſſentiæ Filius & Pater. Unde conſequens eſt non eſſe in Deo plures perſonas ejuſdem eſſentiæ.

Quarto. Si ſint plures in Deo perſonæ, Deus erit genitus, & non genitus, quod contradictionem involvit. Evidens eſt conſecutio, quia Pater ingenitus, Filius genitus erit.

Confirmatur. Vel genitum, vel ingenitum, ſignificant accidens, vel ſubſtantiam. Si primum, Deus igitur accidentium eſt capax. Si ſecundum, ſubſtantia igitur Filii diſtincta erit a ſubſtantia Patris. Plures igitur non erunt perſonæ unius eſſentiæ; aut Deorum invehetur multitudo.

Quinto. Si tres perſonæ ſint unum in eſſentia, quaternitas in Deo admittenda eſt. Cum enim eſſentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quatuor nomina ſint nequaquam Synonima, res plane quatuor ſignificant.

Confirmatur. In Deo nihil eſt præter eſſentiam & relationem; ſed nec eſſentia, nec relatio generant, aut generantur: nihil ergo in Deo generans, aut genitum eſt: ac proinde plures in Deo non ſunt perſonæ.

Sex-

Sexto. *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; iſtudque principium eſt per ſe notum, & totius artis ratiocinandi baſis: ſed Pater & Filius ſunt eadem res cum eſſentia divina; ſunt igitur eadem res inter ſe. Unde conſequens eſt non eſſe perſonas reipſa diſtinctas.

Reſpondeo ad primum, Perſonam divinam infinitam eſſe. Nego tamen inde ſequi, quod ſit unica: ſed ſolum colligitur unam eſſe trium perſonarum ſummam & indiviſam perfectionem.

Contra. Deus unus eſt, quia infinite perfectus eſt; cum igitur divina perſona ſit infinite perfecta, nonniſi una erit.

Reſpondeo, nego conſequens. Unus enim Deus alterius perfectionem omnem non contineret: at una perſona continet omnium aliarum perfectionem, propter unitatem ejuſdem eſſentiæ, & ratione circumſeſſionis. „ Eſt enim „ Filius in Patre, *inquit S. Athanaſius Oratione contra Arianos*, quatenus intelligere licet „ eo ipſo, quod totum id quod eſt Filius, „ ſubſtantiæ Patris proprium eſt: quemadmodum ex luce ſplendor, & ex fonte fluvius. „ Adeo ut qui videt Filium, videat id quod „ proprium eſt Patris, & intelligat eſſe Filii „ ex Patre derivari, & ſic in Patre eſſe. Eſt „ autem & in Patre Filius, quoniam quod Patris proprium eſt, hoc ipſum eſt Filius: ſicut in ſplendore Sol, & in Verbo mens, „ & in fluvio fons. Ad hunc enim modum,

„ qui

„ qui contemplatur Filium, contemplatur id
„ quod Patris ſubſtantiæ proprium eſt, &
„ agnoſcit Patrem ineſſe Filio. Nam cum id
„ quod proprium eſt, nempe divinitas Patris,
„ ſit eſſe Filii, conſequens eſt ut & Filius in
„ Patre ſit, & Pater in Filio. Etenim propte-
„ rea merito cum ante dixiſſet, Ego & Pater
„ unum ſumus, adjecit, Ego in Patre, &
„ Pater in me: & identitatem divinitatis, &
„ ſubſtantiæ unitatem oſtenderet.

Reſpondeo ad ſecundum: Patrem genuiſſe Filium ſemper exiſtentem, quia ſemper genuit. Nec ſequitur quod fuerit fruſtra genitus, quia æterna fuit ejus generatio, ut Patri coæternus eſſet. *In principio erat Verbum*, inquit S. Joannes, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Quo oraculo omnis illius objectionis argutiola difflatur: „ Qui enim non
„ exiſtentem eum dicit, qui in principio eſt,
inquit S. Baſilius lib.2. contra Eunomium „ nec
„ ſenſum principii cuſtodit, nec ipſi principio
„ ſubſiſtentiam Unigeniti conjungit? Nihil enim
„ excogitari poteſt principio antiquius; & eſſe
„ Dei Verbi inſeparabile eſt a principio. Qua-
„ re quantumcumque volueris inutili mentis
„ requiſitione retro currere, pertranſire tamen
„ illud, erat, & ultra illud ferri cogitationi-
„ bus non poteris.

Et infra: „ Sed ſi erat, *inquit*, genitus
„ non eſt. Reſpondeamus ergo. Immo quo-
„ niam genitus eſt, erat, cum ingenitum eſſe
„ non habeat; exiſtens ſemper & coexiſtens
„ Pa-

„ Patri, a quo etiam habet ſubſiſtentiæ cauſ-
„ ſam. Quando igitur ad eſſe a Patre produ-
„ ctus eſt? Ex quo Pater fuit. Sed ab æterno
„ ergo & Filius, per generationem ingenitæ
„ Patris naturæ conjunctus.

Reſpondeo ſecundo cum S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 35. Patrem neque genuiſſe Filium exiſtentem, neque non exiſtentem. *Sed argumentari pergunt* (inquit) *exiſtentem, vel non exiſtentem genuit Pater; o futiles nugas! hæc enim mihi ac tibi conveniunt, qui partim eramus, ut Levi ille in lumbis Abrahæ, partim procreati ſumus, ac proinde partim ex entibus, partim ex non entibus ſumus. At hæc generatio cum eſſentia ipſa concurrit, atque a principio extitit. Quid eo quod a principio erat, antiquius eſſe poteſt, ut illic tempus collocemus, vel quo erat Filius, vel quo non erat? Utroque enim modo illud*, a principio, *diſſolvetur, & evertetur .... Ego quidem neutrum horum admitto; Quæſtionemque hanc tuam, abſurditatis multum, difficultatis nihil habere ajo.*

Ad probationem anecedentis reſpondeo, quaſdam eſſe propoſitiones disjunctivas, quarum neutra pars vera eſt. *Quod ſi tu*, inquit idem Pater, *juxta tuas Dialecticas ſententias, in omni argumento in alterutram disjunctionem veram eſſe oportere exiſtimas, parvam quamdam interrogatiunculam a me accipe. Tempus eſt ne in tempore, an non? Si in tempore, quo tandem? Quidque præter hoc exiſtente? Quo-*

que

que modo hoc continente? Sin autem in tempore, quæ hæc eximia ſapientia, tempus temporis expers inducere? Age hujus ſermonis, Nunc ego mentior, da alterum, aut dumtaxat verum eſſe, aut falſum. Atqui nullo modo hoc fieri poteſt. Vel enim mentiens verum dicet, vel mentietur verum dicens. Quid igitur mirum, ſi quemadmodum hic contraria concurrunt, ita etiam illic utraque pars a vero aberret? Ac velim, mihi hoc Ænigma ſolvas: Aderaſne tibi, cum gignereris? Adeſne etiam nunc tibi? An neutrum horum? Si enim aderas, & ades, quiſnam tandem, & cui? Et quomodo unus, duo effectus es? Si autem neutrum horum, quomodo a te ipſo disjungeris? Et quæ disjunctionis hujuſce cauſſa? Sed ineptum eſt, inquies, cum de uno diſputatur, adſitne ſibi, necne, curioſus inquirere. Hæc enim in aliis, non in nobis ipſis dicuntur. Ineptius, mihi crede, eſt id, quod a principio erat, utrum ante generationem erat, necne, in quæſtionem vocare. Hæc enim diſputatio iis demum convenit, quæ tempore dividi poſſunt.

Ad idem argumentum fuſe reſpondet Sanctus Hilarius l. 12. de Trinitate, ubi de æterna Filii Nativitate diſſerens, ait: „ Id ipſum „ Unigenito Deo eſſe proprium Evangeliſta te„ ſtatur, cum In principio erat Verbum, cum „ Apud Deum hoc erat, & cum lumen ve„ rum, & cum Unigenitus Deus in ſinu Patris „ eſt; & cum Jeſus Chriſtus ſuper omnia „ Deus eſt. Erat igitur, atque eſt: quia ab

„ eo

„ eo eſt, qui quod eſt, ſemper eſt. Ab eo „ autem eſſe, id eſt, ex Patre eſſe, Nativi- „ tas eſt. Eſſe autem ſemper ab eo qui eſt „ ſemper, æternitas eſt. Æternitas vero non „ ex ſe: ſed ex æterno: ex æterno autem ni- „ hil aliud quam æternum: Quod ſi non æter- „ num, jam nec Pater, qui generationis eſt „ auctor, æternus eſt &c.

Eamdem objectionem abſurditatis convincit S. Cyrillus Alexandrinus in Theſauro, Aſſertione 4.

Reſpondeo ad tertium, Summam perfectionem, quæ eſt generatio, Filio non deeſſe, nec tamen Filium generare. *Deeſſe nihil dicimus*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. „ Non enim Deo quidquam deeſt. Ve- „ rum manifeſtationis, mutuæque eorum Re- „ lationis differentia, diverſa quoque ipſis no- „ mina procreavit. Neque enim Filio aliquid „ deeſt ad hoc ut ſit Pater (nec enim defectus „ eſt filiatio) nec propterea tamen Pater eſt. „ Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit „ ad hoc ut ſit Filius. Nec enim Pater Filius „ eſt. Sed hæc defectum proculdubio non ar- „ guunt, nec eſſentiæ ſummiſſionem: quin „ potius ex his verbis, quod genitus non ſit, „ & quod genitus, & quod procedat, hoc „ effectum eſt, ut alius Pater, alius Filius, „ alius Spiritus Sanctus appelletur; atque ita „ inconfuſa trium Perſonarum diſtinctio, in „ una divinitatis Natura & dignitate conſer- „ vetur.

Ita-

Itaque omnis perfectio divinæ generationis eſt in Filio, quia in eadem eſſentia eſt, qua cum generatio identificatur. Sed Filius non generat, quia generare ſpectat ad proprietatem Patris. Hinc S. Ambroſius libro 4. de Fide ad Gratianum, ſimile Arianorum argumentum ſolvens ait: „ Cur, inquiunt, Filius Pater non „ eſt? Quia & Pater Filius non eſt. Cur non „ iſte generavit? Quia nec ille generatus eſt. „ Nec ideo minus habet Filius, quia Pater „ non eſt; nec Pater minus habet quia Filius „ non eſt. Dixit enim Filius: Omnia quæ „ Pater habet, mea ſunt. Adeo generatio in „ paterna proprietate, non in jure eſt pote- „ ſtatis.

Reſpondeo ad quartum, nego conſecutionem majoris. Erit enim Deus ingenitus, & genitus, quod non repugnat: ſed non erit genitus. Hæ propoſitiones, *Deus eſt genitus*, *Deus non eſt genitus*, ſunt contradicentes; unde altera falſa eſt. Namque cum dicitur, *Deus eſt genitus*, τὸ Deus, ſupponit pro Filio; cum dicitur *Deus non eſt genitus*, ſupponit pro Perſonis omnibus indiſtincte; & hic fit ſenſus: Nulla Perſonarum divinarum eſt genita. Hæ autem Propoſitiones ſunt contradictoriæ: Aliqua perſona divina eſt genita, ſcilicet Filius: Nulla perſona divina eſt genita. Hæ vero, *Deus eſt genitus*, *Deus eſt ingenitus*; non ſunt contradictoriæ, quia in prima hæc vox, *Deus*, pro Filio; in altera, pro Patre ſupponit. Hinc S. Gregorius Nazianzenus argumentum illud ſol-

vens Oratione 35. ait : „ Quomodo ingenitum „ & genitum non idem eſſe dicis ? Si per hæc „ verba nihil aliud intelligis, quam id quod „ increatum, & quod creatum, in eadem „ ipſe quoque ſum ſententia. Neque enim na- „ tura idem eſt, quod principio caret, & „ quod procreatum eſt. Sin autem his ver- „ bis, eum qui genuit & eum qui genitus „ eſt, accipis, haudquaquam recte id abs te „ dicitur. Idem enim omnino eſſe neceſſe eſt. „ Hæc quippe geniti natura eſt, ut idem, ſi „ naturam ſpectes, ſit cum eo qui genuit. Vel „ ad hunc rurſus modum agamus : Quid per „ ingenitum, ac genitum intelligis ? Si ipſam „ ingeniti & geniti proprietatem, non idem „ ſunt : ſin autem ea quibus hæc inſunt, quid „ vetat quominus idem ſint ?

Ad confirmationem reſpondeo, *Genitum & ingenitum*, nec accidens, nec ſubſtantiam ſignificare. Quod non ſignificent accidens, evidens eſt, quia Deus incapax eſt accidentium. Quod non importet ſubſtantiam, viginti rationibus probat inviciſſime S. Cyrillus Alexandrinus, in Theſauro Aſſertione 4. *Ingenitus* igitur, *non ſubſtantiam, ſed exiſtendi modum* ſignificat, ut probat S. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, pag. 92. & ſequentibus. Clarius id explico. *Genitus*, relationem ſignificat, quippe cum ſit idem quod Filius : *Ingenitus* vero, negationem relationis. Nam ut ait S. Auguſt. lib. 5. de Trinitate, c. 7. *Nullum prædicamenti genus eſt, ſecundum quod aliquid ajere volumus, niſi ut ſecundum idipſum prædicamentum nega-*

re convincamur, ſi præponere negativam particulam voluerimus. Quæ cum ita ſint, ſi ſubſtantialiter ajerem, dicendo, Filius, ſubſtantialiter negarem, dicendo, non Filius. Quia vero relative ajo, cum dico, Filius eſt; ad Patrem enim refero: relative nego, ſi dicam, Non Filius eſt: ad Parentem enim eamdem negationem refero, volens oſtendere quod ei Parens non ſit. At ſi quantum valet quod dicitur, Filius, tantumdem valet quod dicitur, genitus: tantumdem ergo valet quod dicitur, non genitus, quantum valet quod dicitur, non Filius. Relative autem negamus, dicendo non Filius; relative igitur negamus, dicendo non genitus. Ingenitus porro quid eſt, niſi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus, non ad ſeipſum dicitur, ſed quod ex Genitore ſit, ita cum dicitur, ingenitus, non ad ſeipſum dicitur, ſed quod ex genitore non ſit, oſtenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relativum vocatur, utraque ſignificatio vertitur. Quod autem relative pronuntiatur, non indicat ſubſtantiam. Ita quamvis diverſum ſit, genitus, & ingenitus, non indicat diverſam ſubſtantiam: quia ſicut Filius ad Patrem, & non Filius, ad non Patrem refertur: ita genitus, ad Genitorem, & non genitus, ad non Genitorem referatur neceſſe eſt.

Ad quintum reſpondeo, nego conſecutionem antecedentis. Ad probationem dico; Hæc nomina, *Eſſentia*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, non eſſe ſynonima, nec tamen

res

res quatuor ſignificare: ſed rem unam abſolutam, tres relativas. Quæ cum ab abſoluta illa indiſtinctæ ſint, non quaternitas, ſed Trinitas adoratur. Hinc Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſtiana c.5. ait. *Res igitur, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt, eademque Trinitas, una quædam ſumma res, communiſque omnibus fruentibus ea.*

Et Concilium Lateranenſe IV. cap.2. definit: *Quod una quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim qualibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas; quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet Subſtantia, Eſſentia, ſeu Natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod alind inveniri non poteſt.*

Res nihilominus tres relativæ in Deo ſunt, ut docet S. Anſelmus lib. de Incarnatione Verbi cap.3. *Nihil*, inquit, *prohibet dicere, Patrem, & Filium eſſe duas res, ſi tamen intelligatur cujuſmodi ſunt res, non enim ſic ſunt Pater, & Filius duæ res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum ſubſtantia, ſed eorum relationes.*

Ad confirmationem reſpondeo, Relationem ſubſiſtentem, ſeu Perſonam in Deo generare, & generari; non vero eſſentiam: de qua laudatum caput Lateranenſis Concilii ſic definit adverſus Joachimum Abbatem: *Et illa res non*

eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in Natura.

Ad ſextum reſpondeo, prætermiſſis exceptionibus, quæ a Scholaſticis ad hujuſce limitationem principii afferri ſolent, nimirum, *Quæ ſunt eadem uni tertio, eadem eſſe inter ſe*: Si ſint eadem cum illo tertio, re, & ratione; ſi ſint eadem cum illo adæquate, ſi tertium illud ſit incommunicabile: his, inquam, prætermiſſis, reſpondeo hoc effatum Philoſophiæ, locum non habere in Myſteriis, quæ cum rationem ſuperent, Philoſophiæ decretis non ſunt explicanda, ſed Scripturæ Sacræ, & Traditionis oraculis. Certe commune eſt Philoſophiæ effatum; *Ex nihilo nihil fit*; Illud tamen ſuam exceptionem habet, ac in iis dumtaxat, quæ naturaliter agunt, verum eſſe illud fatentur Theologi, & Philoſophi Chriſtiani; aliam autem eſſe dicunt Conditoris rationem qui quod vult, ſola voluntate perficit. Ita de illo principio dicendum eſt, verum eſſe in iis quæ ſunt ſecundum humanam rationem: non in iis, quæ ſupra rationem eſſe exploratum eſt. Unde Sancto Cyrillo Alexandrino auſcultandum eſt lib.2. in Joannem pag.99. dicenti: *Si nihil inter nos, & Deum eſt diſcriminis, divina noſtris metiamur. Sin autem incomprehenſibile eſt intervallum, cur naturæ noſtræ defectus, canonem, & regulam, ac normam Deo præfiniunt, ex eis, quæ nobis impoſſibilia ſunt neceſſitati ſubjicientes naturam omni neceſſitate potiorem?*

FINIS.

DISSERTATIO
DE DIVINITATE VERBI
ADVERSUS ARIANOS.

DISSERTATIO
DE DIVINITATE VERBI
ADVERSUS ARIANOS.

QUÆSTIO UNICA.

De Filii Dei Conſubſtantialitate.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Arianis Filio Dei Divinitatem auferentibus, Sacra Scriptura & Traditio faveant.

VETERUM Arianorum Hæreſim ſuſcitarunt poſteriori ſæculo recentiores hæretici, ſcilicet Valentinus Gentilis natione Italus, urbe Conſentinus, & Fauſtus Socinus Senenſis. Prior, ut ex ejus ſcriptis, præſertim e Protheſibus apparet, quas Calvinus in libro contra ipſum edito publicavit, in Sacroſancta Trinitate perſonas tres, & hypoſtaſi & eſſentia diſtinctas aſſeruit. Nam unum eſſe

ſummum Deum, ac verum credidit, qui ſit eſsentia ipſa divina. *Qui autem unum Deum in tres proprietates, ſeu perſonas diſtinguit, vel ſibi præſtigias facit, vel neceſſario unius Dei ſubſtantiam dividit, atque diſcerpit* (inquit Gentilis *Protheſi* 10.) Hunc vero Deum *eſſentiatorem* ajebat eſse Filii ac Spiritus ſancti, qui longe illo minores erant. Quippe *unum Deum et Filium ejus duas eſſe ejuſdem naturæ ſubſtantias intelligentes, ideſt, duos æternos Spiritus conſubſtantiales, congruo gradu, ordine, et proprietate diſtinctos*: ita tamen *ut ſolus Pater ſit immenſæ ſubſtantiæ: Filius vero Spiritus ſit ex Deo ineffabiliter genitus, paternæ voluntatis executor, ac pro generationis modulo circumſcriptus*, ut ait *Protheſi* 21. *et* 23. Gentilis iſte, urgente Calvino, Genevæ in carcerem detruſus eſt, ubi metu ſupplicii perfidiam abjuravit, ac Fide jurejurando data, ſe injuſsu Senatus urbe non egreſsurum, clam nihilominus evaſit, Arianamque hæreſim per Galliam, Germaniam, & Poloniam ubique ſparſit. Demum apud Bernam in Helvetiis comprehenſus, capitali pœna merito affectus eſt.

Iiſdem temporibus fœtuit Michael Servetus Hiſpanus, qui in libris quos *de erroribus Trinitatis* inſcripſit, cum Sabellianiſmum, tum Arianiſmum inſtaurare aggreſsus eſt. Perſonas enimvero divinas, externas tantum ideas eſſe voluit, quæ vere non ſubſiſtant in eſsentia Dei. Chriſtum vero alia ratione Dei Filium eſse negavit, niſi quatenus in utero Virginis geni-

nitus eſt ex Spiritu ſancto. Effutiit præterea nomen hoc *Filius* in ſacris Litteris proprie tribui hominis Filio, nec ullum in Evangeliis poſse inveniri locum, in quo ponatur ea vox, *Filius*, quæ non accipiatur pro hominis Filio. Iſta conſtant tum ex Calvino *lib.* 1. *Inſtitutionum c.* 13. *et lib.* 2. *c.* 14. *et in libro Refutationis errorum Serveti*: Tum ex ipſius Serveti reſponſione ad Articulos Calvini. Ceterum Servetus ille Genevæ comprehenſus, auctore Calvino, & conjectus in vincula, vivus incendio traditus eſt, anno Chriſti 1555.

Servetum ſecuti ſunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciſcus David, aliique Poloni ac Tranſylvani Miniſtri: quos inter majus ſibi nomen fecit Fauſtus Socinus, qui Georgii Blandratę Archiatri Stephani Polonię Regis ope & auctoritate fretus, in eodem regno Cerinthianæ, Sabellianæ, Paulinianæ, Arianæ, Photinianæ hæreſeos patrocinium ſuſcepit. (Harum enim omnium hæreſeon colluvies eſt Sociniana, cui nomen dedit Socinus, & quæ nunc per Poloniam ac Tranſylvaniam immaniter graſsatur).

Contendunt itaque Sociniani, unicum & ſingularem eſse, non eſsentia ſolum, ſed etiam perſona, Deum verum ac ſummum qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Chriſtum vero nulla alia præterquam humana conſtantem natura, Filium Dei nominari ob unctionem gratiæ, ob Dei inhabitationem, ob excellentem functionis dignitatem ac muneris, quod ei a

mo Deo injunctum eſt, ut hominum apud ipſum Mediator eſset: proindeque falſa eſse omnia, quæ de ſempiterna generatione Verbi ex Patris ſubſtantia, deque ejus incarnatione, in Eccleſia docentur, & a tot retro ſæculis prædicata ſunt: vel certe figura quadam, & tropo dicta eſse. Hanc hæreſim cum Ariana, ſequenti propoſitione expugnabimus.

Propositio.

Arianos, Arianiſque pejores Socinianos, Filium Dei verum eſſe Deum, Patri conſubſtantialem & coæternum, impie negantes, Scriptura ſacra & Traditio, ad Nicæni uſque Concilii tempus, & inde uſque ad nos propugnata refellit.

Prima pars probatur. Ille quem nomen, nativitas, natura, poteſtas, profeſſio, verum eſse Deum demonſtrant, verus Deus eſt, Patrique conſubſtantialis ac coæternus: Atqui Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Deum eſse *nomine*, *nativitate*, *natura*, *poteſtate*, *profeſſione*, ex Scripturis demonſtratur, ut ait S. Hilarius *lib. 7. de Trinitate*. Igitur Filius Dei verus Deus eſt Patri conſubſtantialis & coæternus.

Probatur prima pars minoris, ex illo Evangelii S. Joannis initio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . omnia per ipſum facta ſunt . . & Ver-*

& Verbum caro factum eſt. Ubi S. Evangeliſta illum aperte Deum prædicat quem a Patre toto illo capite diſcernit, quemque apud Deum fuiſſe dicit. Et ipſa vox, *erat*, quæ tempus definitum non exprimit, ab æterno productum fuiſse demonſtrat, & illum ipſum qui carnem induit Deum eſse. Quem locum contra Arianos urgent S. Athanaſius *Oratione* 4. *pag.*273. & Hilarius *lib.*7. *de Trinitate*, & S. Cyrillus, *lib.*32. *Theſauri*, S. Ambroſius, *lib.*1. *de Fide ad Gratianum cap.*5. S. Baſilius *Homilia* 15. *in principium Joannis*, & in libris *contra Eunomium*, S. Gregorius Nyſsenus lib. 3. contra eumdem Hæreticum, S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 49. & S. Auguſtinus *lib.*1. *de Trinitate cap.*6. Notat vero S. Ilarius ſimplicem eſse hoc in loco Dei Verbi nuncupationem, & quæ careat offendiculo adjectionis alienæ. *Non eſt, inquit, hic deputatæ aut aſſumptæ nuncupationis relicta ſuſpicio, ut ei quod Deus eſt, non ex natura ſit nomen. Reſpice ad ceteras aut deputativas, aut aſſumptivas appellationes. Ad Moyſem dictum eſt: Dedi te Deum Pharaonis. Sed numquid non adjecta nominis cauſſa eſt cum dicitur, Deum Pharaonis? aut numquid Dei naturam ei intulit, & non potius in eum qui metueret, terrorem; cum dracones magicos draco Moyſi mox virga manens devorat; cum cynomiyam, quam immiſerat, abigit; cum grandinem poteſtate qua evocaverat, avertit; cum locuſtas ea virtute qua invexerat, repulit: cum in orationibus ejus Magi confitentur digitum Dei eſ-*

 ſe?

ſe? Sic Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud eſt Deum dari, aliud eſt Deum eſſe. In Pharaonem enim Deus datus eſt: ceterum non ei eſt natura, & nomen ut Deus ſit. Memini quoque & alterius nuncupationis, ubi dicitur: Ego dixi, Dii eſtis. Sed in eo indulti nominis ſignificatio eſt. Et ubi refertur, Ego dixi, loquentis eſt potius ſermo quam rei nomen: quia rei nomen intelligentiam rei affert, ceterum voluntas appellationis ex alio eſt. Et ubi ſe nuncupationis auctor oſtendit, ibi per ſermonem auctoris eſt nuncupatio, non naturale nomen in genere. At vero hic Verbum Deus eſt: res exiſtit in Verbo, Verbi res enuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei Filio de Sacramento nativitatis eſt.

Dices non poſſe colligi hoc ex loco Verbum a S. Joanne vocatum fuiſſe Deum; ſiquidem in quibuſdam Codicibus interpunctio poſt hæc verba, *& Deus erat*, legebatur, ſicque tota afferebatur ſententia: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*. Sequentia vero ad aliam ſententiam pertinebant, quæ ſic exprimebatur: *Verbum hoc erat apud Deum*.

Reſpondeo, hanc interpunctionem habuiſſe quoſdam tantum Codices ab Arianis depravatos, ut colligitur ex S. Auguſtino *lib.3. de Doctrina Chriſtiana, cap.2.* Perperam autem fuiſse tranſpoſitam, luce meridiana clarius eſt. Quorſum enim dixiſſet Evangeliſta: & *Deus*

Deus erat, qua de re ambigebat nemo? Præſertim cum jam dixiſſet: *Et Verbum erat apud Deum*; qua enim ratione apud Deum eſſe poterat, ſi Deus non erat?

Dices: Nomen Dei Græce articulum emphaticum non habere, quemadmodum habet in membro præcedenti, cum pro Patre ponitur; itaque Patrem quidem verum eſſe Deum, qui adjuncto articulo dicatur ὁ θεός: Filium non vere, qui ſine articulo θεός quaſi minor quidam Deus appelletur.

Reſp. huic Arianorum objectioni, cui Origenes etiam ſuffragatur, negando conſequens. Nam & Pater æternus θεός ſine articulo interdum appellatur, ad Romanos 1. *v*.7. & hoc ipſo *Joannis cap. v.6.* aliiſque compluribus in locis. Contra vero Filius ὁ θεός cum articulo quandoque vocatur, ut ad Romanos 9. *v*.5. ut obſervat S. Chryſoſtomus *Homil.3. in Joannem*. Quam autem ob rem Evangeliſta hoc loco articulum non addiderit, ex linguæ Græcæ proprietate rationem reddit Maldonatus: quod nempe non ſoleat in prædicato, ſed in ſubjecto articulus poni. Itaque non potuit dicere, ϰ ὁ λόγος ἦν ὁ θεός, cum nomen Verbi ſit ſubjectum, nomen Dei prædicatum.

Eadem prima pars minoris probatur ex illis verbis, quibus Sanctus Thomas Chriſtum poſt reſurrectionem ex contactu cicatricum agnitum compellat; *Dominus meus, & Deus meus*. Quæ verba nedum Chriſtus non reprehendit: ſed vehementer approbat. Hunc lo-

cum urgent S. Athanaſius *Oratione* 3. *contra Arianos pag.*204. & S. Hilarius *lib.*7. *de Trinitate lib.*32. *Theſauri*. Et quidem Hilarius obſervat, *non hic honoris eſſe nomen, ſed naturæ confeſſionem*; Idemque Chriſtum docuiſſe, cum dixit: *Quia vidiſti me, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt*. Ex quo ſic colligit S. Hilarius: *Anne ergo nomen Dei, non naturæ res exiſtimabitur, cum profeſſio nominis fidem naturæ creditæ ſit ſequuta? Nam utique religioſus Filius, & qui non voluntatem ſuam, ſed ejus qui ſe miſerat, faceret, & qui non honorem ſuum, ſed ejus a quo venerat, quæreret, honorem hujus in ſe nominis recuſaſſet, ne quod ipſe unum Deum prædicaverat, ſolveretur; ſed veræ, & Apoſtolicæ fidei myſterium confirmans, & naturæ in ſe paternæ nomen agnoſcens, beatos eſſe docuit, qui cum ſe reſurgentem a mortuis non vidiſſent, Deum tamen per reſurrectionis intelligentiam credidiſſent*. Ex hac igitur S. Thomæ confeſſione, evidens eſt Dei nomen Chriſto convenire, nec honoris tantum cauſſa ipſi deferri, ſed ad naturæ ſignificationem, fideique profeſſionem.

3. Idem probatur ex Epiſtola 1. Canonica Sancti Joannis v.16. *In hoc* (inquit) *cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit*. Vides illum ipſum appellari Deum, qui pro nobis mortuus eſt. Hic autem eſt Chriſtus Dei Filius: huic igitur Dei nomen a dilecto Diſcipulo tribuitur. Et cap.5. v.20. *Et ſcimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit, & de-*

& dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.

Quem locum adverſus Arianos urgent Sanctus Hilarius lib. 6. *de Trinitate*, pag. 36. *Cyrillus* initio Dialogi 4. *de Sancta Trinitate*, Sanctus Auguſtinus libr. 1. *de Trinitate*, capit. 6. Quamobrem temere Eraſmus hæc verba, *Hic eſt verus Deus*, ad Patrem referenda eſſe contendit. Certe pronomen demonſtrativum illam potius perſonam demonſtrat, cui proxime adjunctum eſt, quam remotam. Pronomen autem, *hic*, in teſtimonio mox laudato S. Joannis, proxime adjungitur Filio, demonſtrat itaque Filium eſſe verum Deum.

4. Idem probatur ex *Actuum cap. 20. v. 28.* ubi S. Paulus Majores natu Eccleſiæ ſic alloquitur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Ex quibus ſic colligo. Qui redemit Eccleſiam ſanguine ſuo, Deus eſt. Atqui Filius Dei Chriſtus Dominus Eccleſiam redemit ſanguine ſuo: Filius igitur Dei Chriſtus Jeſus verus Deus eſt.

5. Idem probatur ex Epiſtola ad Romanos cap. 9. verſ. 5. *Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητός. Quo in loco vocem *Deus*, irreptitiam eſſe Eraſmus temere ſuſpicatur, propter quod a Beza merito vapulat, ac vetuſtiſſimorum Codicum conſenſu refellitur, necnon antiquo-

rum Patrum auctoritate, qui & iſtud S. Pauli teſtimonium iiſdem verbis laudant, & ad Filium Dei referunt. Hos ſatis ſit appellaſse, nimirum S. Irenæum lib.3. cap.18. Tertullianum lib. contra Praxeam, cap.13. & 15. S. Cyprianum lib.2. Teſtimon. contra Judæos: Athanaſium Orationibus 2. & 5. *Contra Arianos*, Gregorium Nyſsenum lib.10. *Contra Eunomium*, Hilarium lib.4. & Sanctum Ambroſium lib.4. *de Fide*, cap.6. Cyrillum lib.1. *Theſauri*, Auguſtinum lib.2. *de Trinitate* cap.13. &c. Apoſtolus igitur Chriſtum non ſolum Deum, ſed ſuper omnia Deum nominavit. Non convenit igitur ſoli Patri ut ſit ſummus Deus, ſed Filius eſt idem ſummus & ſuper omnia Deus cum Patre. Huic teſtimonio penitus conſonat alter locus ex Epiſt. ad Titum cap.2. verſ.13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis.* Quibus verbis Chriſtus non utcumque Deus, ſicut veteres Ariani fatebantur, concedumtque ultro Sociniani, ſed magnus Deus, quod Patris proprium eſſe impie contendunt, ſignificatur. Hoc teſtimonio adverſus Arianos pugnat S. Athanaſius lib. *De communi eſſentia Patris & Filii*, pag.383. Accedit, quod 1. *Corinth.2. v.8.* Chriſtus *Dominus Gloriæ* ab Apoſtolo prædicatur. *Quam nemo principum hujus ſæculi cognovit. Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

6. Idem evincitur ex cap.1. Epiſtolæ ad Hebræos,

bræos, ubi Apoſtolus Chriſtum Angelis longe præſtantiorem eſse oſtendit, quod Filius ſit, ac Deus, ad idque Pſalmorum teſtimonia adducit. „ Tanto melior, *inquit*, Angelis effectus,
„ quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum,
„ Filius meus es tu, ego hodie genui te? . . .
„ Et cum iterum introducit primogenitum in
„ orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes
„ Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit:
„ Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem:
„ Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi: virga
„ æquitatis, virga regni tui, &c.

Et cap.3. Chriſtum Moyſi anteponendum eſſe docet, tamquam Deum famulo, & architectum domui; *Amplioris enim gloriæ*, inquit, *iſte præ Moyſe dignus eſt habitus: quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus eſt.* Hunc locum urget S. Cyrillus *lib.*32. Theſauri. Ex his omnibus colligitur Filium Dei Chriſtum Dominum, ex nomine Deum probari luculentiſſimis divinæ Scripturæ teſtimoniis. Porro *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli, eum qui non eſſet Deus, definitive & abſolute Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus*: (inquit S. Irenæus *lib.*3. *Adverſus Hæreſes, cap.*6.)

Probatur ſecundo Chriſtum Deum eſſe *nativitate*, ex locis laudatis Epiſtolæ ad Hebræos cu-

cujus hoc eſt exordium : „ Multifariam, mul-
„ tiſque modis, olim Deus loquens Patribus
„ in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus
„ eſt nobis in Filio quem conſtituit heredem
„ univerſorum: per quem fecit & ſæcula: qui
„ cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ
„ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ,
„ purgationem peccatorum faciens, ſedet ad de-
„ xteram Majeſtatis in excelſis. *Et infra*: Cui
„ enim dixit aliquando Angelorum: Filius
„ meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum:
„ Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in
„ filium „. Ex hoc Teſtimonio conſtat, Filium Dei vere a Patre genitum eſse, ac proinde eſse nativitate Deum. Nam *Intelligentiæ iſtud humanæ ſenſus excludit, ut aliquid a natura originis ſuæ naſcendo diverſum ſit* (inquit S. Hilarius lib. 7. de Trinit.) *& cum hæc in corporalibus cauſſis ita ſint, quis rogo furor eſt, nativitatem Unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam?*

Idem probatur ex iis omnibus locis in quibus Chriſtus Dei filius nuncupatur, ſcilicet ex Patris æterni teſtimonio, quod non ſemel de cælo perſonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quem locum ſic urget Sanctus Hilarius l. 6. de Trinit. „ Proprietatis, *in-*
„ *quit*, ſignificatio eſt, ubi &, Hic eſt, di-
„ ctum eſſe auditur; & meus eſt. Legeras,
„ Filios genui, & exaltavi: ſed non legeras,
„ filios meos... Ne igitur per communionem
„ adoptivæ hæreditatis cognomentum Filii uni-
„ geni-

„ genito Deo adderetur, naturæ veritas per
„ ſignificationem proprietatis oſtenſa eſt. Aſſi-
„ gnetur ſane hoc communionis in Chriſto no-
„ men, ut filius ſit, ſi de quoquam dictum
„ reperiatur, Hic eſt Filius meus. Sin vero
„ proprium ac ſingulare ei eſt, quid calum-
„ niam Deo Patri profeſſæ de Filio proprieta-
„ tis afferimus? Anne tibi in eo quod dicitur,
„ Hic eſt, non hoc ſignificare videtur, alios
„ quidem cognominatos ab eo in filios: ſed,
„ Hic filius meus eſt: Donavi adoptionis pluri-
„ mis nomen, ſed iſte mihi filius eſt. Hunc
„ ego tamquam indice digito, ac verbi ſigni-
„ ficatione contingo: quia dico, & meus eſt,
„ & hic eſt, & filius eſt, &c.

Idem confirmant hæc verba Chriſti Domini (Matth. 11.) *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo: & nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Joannis 8. *Neque me ſcitis, neque Patrem meum. Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Et ibidem Judæis a Chriſto quærentibus, *Tu quis es?* ipſe reſpondit: *Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & judicare. Sed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum*, ut obſervat S. Evageliſta. Ex his autem patet Filium Dei Chriſtum Dominum ex natura Dei eſſe: *Cum idcirco Deum ſolus noverit: quia ſolus ab eo ſit. Habes igitur proprietatem cognitionis de proprie-*

tate generationis (inquit S. Hilarius l.6.) *Et quod ab eo eſt, non creaturæ in eo virtutem: nam omnia a Deo per virtutem creationis exiſtunt; ſed nativitatis veritatem, per quam ſolus Patrem novit, cum cetera eum, quæ ab eo ſunt, ignorent*. Certe ſi creata eſſet perſona illa, quæ loquitur locis mox laudatis, ignorari non poſſet. *Ignorari enim unde ſit non poteſt quidquid ſubſiſtit ex nihilo: quia hoc ipſum quod non ignoratur ex nihilo, ignorationem ejus unde ſit, non habet* (inquit S. Hilarius.) Nec eſt quod novi Ariani reſpondeant, Chriſtum ſe Filium dixiſſe ratione ſanctitatis eximiæ. Si enim aliud nihil ſignificare voluiſſet, non adeo commoti fuiſſent Judæi, ut hoc præcipue ob crimen illum cruci addicerent: *Quia filium Dei ſe fecit* (Joan. 19.)

Idem confirmat reſponſio Marthæ (Jo. 11.) *Utique, Domine, ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Et confeſſio Petri (Math. 16.) *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Quam Chriſtus his verbis commendat; *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*. Quem locum S. Hilarius hac expoſitione illuſtrat. „ Neque „ enim tantum Petro ex confeſſo honore laus „ reddita eſt, ſed ex agnitione myſterii: quia „ non Chriſtum ſolum, ſed Chriſtum Dei Filium eſſe confeſſus eſt. Nam utique ad confeſſionem honoris ſuffecerat dixiſſe: Tu es „ Chriſtus. Sed inane fuerat Chriſtum ab eo „ confeſſum fuiſſe, niſi Dei filium confiteretur.

„ In

„ In eo enim quod ait: Tu es, virtutem & „ proprietatem naturalis veritatis explicavit. „ Et Pater dicendo, Hic eſt Filius meus, Pe- „ tro revelavit ut diceret: Tu es Filius Dei. „ Super hanc igitur confeſſionis Petram Eccle- „ ſiæ ædificatio eſt... Numquid nuncupatio „ potius quam natura Petro revelata eſt? Si „ nuncupatio jam hanc a Domino frequenter „ audierat, ſe eſſe Dei filium confitente. In „ quo ergo revelationis eſt gloria? &c.

Accedit inſignis S. Joannis locus Evangelii 19. cap. *Hæc autem*, inquit, *ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Quem locum S. Hilarius lib.6. contra Arianos vehementer urget. *Scribendi igitur Evangelii*, inquit, *non aliam prætulit cauſſam quam ut omnes crederent Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei. Si ſufficit ad ſalutem Chriſtum credere, cur adjecit, Filium Dei?*

Sed vix locus proferri poteſt hoc in genere inſignior, quam ille cap. 1. ejuſdem Evangeliſtæ *Deum nemo vidit umquam, Unigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit*. Quæ verba S. Hilarius *lib.6. de Trinitate*, contra Arianos ſic urget: „ Naturæ fides, non ſatis expli- „ cata videbatur ex nomine filii, niſi pro- „ prietatis extrinſecus virtus per exceptionis „ ſignificantiam adderetur. Præter Filium „ enim, Unigenitum cognominans ſuſpicio- „ nem penitus adoptionis exſecuit: cum veri- „ tatem nominis Unigeniti natura præſtaret...

„ Quæ-

„ Quæro quid ſignificatio iſta Unigeniti ſibi
„ poſtulet, & videamus an hoc ſit, quod tu
„ eſſe profiteris, ideſt creaturam Dei perfe-
„ ctam; ſed Deum Unigenitum filium Joannes
„ dixit, non creaturam perfectam. Non enim
„ ignoravit hæc blaſphemiæ nomina, dicens:
„ Qui eſt in ſinu Patris, & a Domino ſuo au-
„ diens. Sic enim dilexit Mundum Deus ut
„ Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis
„ qui credit in eum non pereat, ſed habeat vi-
„ tam æternam. Deus mundum diligens hoc
„ dilectionis ſuæ in eum teſtimonium protulit,
„ ut Unigenitum Filium ſuum daret. Si dile-
„ ctionis hinc fides eſt, creaturam creaturis
„ præſtitiſſe, & pro mundo id quod mundi eſt
„ dediſſe, & ad ea quæ ex nihilo ſunt ſubſtitu-
„ ta redimenda, eum qui ex nihilo ſubſtitit,
„ præbuiſſe: non facit magni meriti fidem vi-
„ lis & ſpernenda jactura. Pretioſa autem
„ ſunt quæ commendant charitatem, & ingen-
„ tia ingentibus æſtimantur. Deus diligens
„ mundum, Filium non adoptivum, ſed
„ ſuum, & unigenitum dedit. Hic proprietas
„ eſt, nativitas eſt, veritas eſt: non creatio
„ eſt, non adoptio eſt, non falſitas eſt. Hinc
„ dilectionis, & charitatis fides eſt, mundi ſa-
„ luti & Filium, & ſuum, & unigenitum
„ præſtitiſſe.

Idem probant hæc verba Epiſtolæ ad Romanos: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Proprius autem Filius dici non poteſt, qui non eſt ex ſub-

ſtan-

ſtantia generantis, ejuſdemque cum eo naturæ. Hinc S. Hilarius Apoſtolicæ illius vim ſententiæ *lib.6. de Trinitate*, expendens ait: *Numquid nam etiam nunc, adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen? Apoſtolus enim volens charitatem erga nos Dei oſtendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere noſceretur, non peperciſſe Deum proprio Filio ſuo docuit. Nec utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ; ſed pro alienis ſuo, pro connuncupandis proprio. Quære virtutem dicti, ut magnitudinem charitatis intelligas. Quid ſit proprium expende, ne ignores veritatem.* Ex quibus evidenter colligitur, Filium Dei Chriſtum Jeſum nativitate Deum eſse.

Denique dæmones ipſi Chriſtum eſse Filium Dei vel inviti confeſſi ſunt, Lucæ 9. *Quid mihi & tibi eſt, Jeſu Filii Dei altiſſimi? ne me torqueas.* Quæ verba S. Hilarius lib.6. de Trinitate adverſus Arianos objicit: *Invitis*, inquit, *veritas elicuit confeſſionem, & naturæ poteſtatem teſtatur dolor obediendi. Virtute vincuntur, cum poſſeſſa diu corpora deſerunt. Honorem reddunt, dum naturam confitentur. Dei ſe inter hæc Filium Chriſtus & opere teſtatur, & nomine. Unde tibi inter iſtas confitentium dæmonum voces, o hæretice, præſumis nomen creaturæ, & indulgentiam adoptionis? Quid ſit Chriſtus, ab his ſaltem qui neſciunt, diſce, ut impietatem tuam ipſa illa ignorantium neceſſaria profeſſio arguat. Namque*

cum

Judæi Chriſtum corporeum neſcirent, ſcirent tamen eum, qui Chriſtus eſſet, eſſe Filium Dei: cum falſis adverſus eum teſtibus ſine ulla veritatis aſſertione uterentur, Sacerdos eum interrogat: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Sacramentum neſcientes, naturam tamen non ignorant, neque interrogant an Chriſtus Filius Dei ſit, ſed an hic ſit Chriſtus Filius Dei. Error in homine eſt, non in Dei Filio. Nam quod Chriſtus Filius Dei ſit ambigitur: atque ita tum interrogatur an hic ſit, tamen quod Chriſtus ſit Dei Filius non negatur.

Probatur tertio, Chriſtum Deum eſse natura, ex illis Chriſti verbis Joan. 10. *Ego et Pater unum ſumus*. Et rurſus ex illis Joannis 14. *Qui videt me, videt et Patrem meum . . . Ego in Patre, et Pater in me eſt.*

Reſpondebant Ariani, ſicut nunc Sociniani reſpondent, hæc loca probare ſolum unitatem affectus, & voluntatum conſpirationem ſummam inter Patrem & Filium, cujuſmodi Sanctorum inter ſe & cum Deo eſse dicitur, non vero naturalem & proprie dictam.

Contra. Chriſtus hæc verba: *Ego et Pater unum ſumus*, protulit ad probandum oves ſuas non eſse in æternum perituras, nec eas quemquam de manu ſua rapturum; quia quod dedit illi Pater nempe, natura & potentia, quam ab illo communicatam accepit, majus eſt omnibus: *Ego*, inquit, *vitam æternam do eis: et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mi-*

mihi, majus omnibus eſt: et nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego, et Pater unum ſumus. Probat oves ſuas tam de ſua, quam de patris manu rapi non poſſe, quia ipſe & Pater unum ſunt. Atqui ſi ſola voluntatum conſenſione unum eſſet, nihil concluderent. Non eſt igitur intelligenda Chriſti ſententia de ſola unitate morali & conſpiratione voluntatum; ſed ſaltem de unitate poteſtatis. Porro ſi una eſſet Patris Filiique poteſtas, una eſt utriuſque natura, ut S. Chryſoſt. *Homilia 61. in Joann.* colligit.

Secundo ex ipſo Judæorum agendi modo refellitur cavillatio Arianorum: ſtatim namque ac illi dicentem Chriſtum audiere: *Ego et Pater unum ſumus*: lapidibus illum obruere conati ſunt. Cujus rei cauſſam quærenti reſponderunt. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: et quia homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Intellexerunt itaque Judæi hæc Chriſti verba: *Ego et Pater unum ſumus*, Naturæ unitatem, non voluntatum conſenſionem dumtaxat exprimere. At ſi Chriſtus unius eſſentiæ cum Patre, unuſque Deus non fuiſſet, facile hanc a ſe calumniam depuliſſet, negando ſe unum eſse cum Deo natura, ſed ſola unitate affectus, eo modo quo viri ſancti. Verum non hanc excuſationem adhibuit Servator, ſed hoc ipſum quod de ſe Judæi animo conceperant, & cujus cauſsa ipſum lapidare volebant, ex divinis operibus verum eſse demonſtrat; ſeque Deum eſse probat a minori ad ma-

majus. *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt in Lege veſtra: Quia ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, et non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, et miſit in mundum, vos dicitis; quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, et credatis quia Pater in me eſt, et Ego in Patre.*

Hæc loca contra Arianos urgent SS. Patres Auguſtinus lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 19. Sanctus Epiphanius Hæreſi 63. S. Gregorius Nyſſenus lib. contra Eunomium, S. Hilarius lib. 8. ſed præ ceteris audiendus eſt S. Athanaſius Oratione 4. contra Arianos, ubi cavillationem illam Arianorum de ſola voluntatum & doctrinæ conſenſione ſic refellit: „ Si ea ratione idem „ habendi ſunt Pater & Filius, neceſſe eſt An„ gelos, cæteraque in cælo apparentia, ſo„ lem, lunam, ſtellas, ita Filios habenda „ eſſe, ut Chriſtus eſt Filius, ac de illis quo„ que hoc dictum pronuntiari, & ipſa, & Pa„ trem unum eſſe, & unumquodque eorum „ & imaginem Dei, & Verbum eſſe, cum „ ea quæ velit Deus, & ipſa quoque velint. „ Hac etiam ratione complures inter homines „ Patri ſimiles reperiuntur. Multi enim Mar„ tyres extitere, & ante Martyres Apoſtoli, „ & Prophetæ, & ante Apoſtolos & Prophe„ tas Patriarchæ: plurimique etiamnum ſunt „ qui

„ qui ſervant præcepta Patris ... Quorum ne-
„ mo tamen neque Verbum, neque Sapien-
„ tia, neque Unigenitus Filius, neque Ima-
„ go fuerit, neque quiſpiam eorum auſus eſt
„ dicere: Ego & Pater unum ſumus. Aut
„ ego in Patre & Pater in me eſt: ſed ab om-
„ nibus dicitur: Quis ſimilis tibi inter Deos
„ Domine? aut quis æquabitur Domino inter
„ Filios Dei?

Objicies, ex verbis Apoſtoli 1. ad Corinthios cap.6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus eſt*: & ex illis Act.4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, colligi non poſſe unitatem eſſentiæ Chriſtianorum cum Deo, aut inter ſe, ſed ſolam voluntatum conſenſionem: adeoque nec ex illis Chriſti verbis: *Ego & Pater unum ſumus*, recte inferri unitatem Deitatis in Patre & Filio.

Reſpondeo, nego paritatem. Ratio diſcriminis poſita eſt in principio quod ſtatuit Sanctus Auguſtinus lib.3. contra Maximinum c.20. *Quando*, inquit, *de rebus duabus ac pluribus dicitur, unus eſt, vel una eſt, & additur quid unus, vel quid una: & de his quæ diverſæ, & de his quæ unius ſunt ſubſtantiæ dici poteſt. Diverſæ enim ſunt ſubſtantiæ ſpiritus hominis, & Spiritus Domini; & tamen dictum eſt: Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt. Unius autem ſubſtantiæ ſunt animæ hominum, & corda hominum, de quibus dictum eſt: Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus, unum ſunt:*

ſunt: nec additur quid unum ſint, non diverſæ intelliguntur, ſed unius eſſe ſubſtantiæ, ſicut dictum eſt: Qui plantat, & qui rigat unum ſunt, &, Ego & Pater unum ſumus.

Confirmatur Chriſtum natura Deum eſſe, ex illis Chriſti verbis Joannis 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*: ſi omnia: igitur æqualis eſt Patri, uniuſque cum ipſo naturæ.

Confirmatur ſecundo ex illis Apoſtoli verbis ad Philippenſes II. ita de Chriſto Jeſu loquentis: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. In forma Dei, id eſt, in natura Dei Chriſtus eſt; nec rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, id eſt, *non alienum arbitratus eſt eſſe, quod natus eſt*, ut exponit S. Auguſtinus *lib.2. contra Maximinum Arianum, cap.5.* Hunc locum, & S. Joannes Chryſoſtomus Commentario in hunc locum, & S. Hilarius lib.9. de Trinitate, pag.53. & S. Athanaſius Oratione 4. contra Arianos, pag.273. eodem ſenſu intelligendum eſſe docent. Et certe ſi *forma ſervi*, quam ibi opponit Apoſtolus formæ Dei, naturam ipſam hominis ſignificat, *forma Dei*, naturam eſſentiamque divinam exprimit. Itaque reus eſt temeritatis Eraſmus, qui formam ibi pro externa ſpecie, ſive pro externis operibus, in quibus fulgebat divinitas, ab Apoſtolo poſitam eſſe interpretatur.

Confirmatur tertio, ex Apoſtolo ad Coloſſen-

ſenſes 1. Chriſtum nominante *Imaginem Dei inviſibilis*, & ad Hebræos 1. de ipſo dicente: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ*. Porro vivens ac ſpirans imago in nullo diverſa eſt ab eo cujus imago eſt. Hinc S. Hilarius lib. 7. de Trinitate adverſus Arianos ex hac imaginis notione ſic ratiocinatur: „ Intellectus Deus Filius id præſtat, ut intellectus „ & Pater ſit; dum ait imago eſt, ut non „ differat genere, ſed ſignificet Auctorem, &c.

Et initio lib. 11. *oſtendit* „ Deum eſſe viventis Dei vivam imaginem, quæ niſi perfe„ ctam paternæ beatitudinis habeat formam, „ & abſolutam naturæ totius referat ſpeciem, „ non eſt in imaginis veritate. Si autem in„ naſcibilis Dei unigenitus Deus imago eſt, „ perfectæ atque abſolutæ in eo naturæ veri„ tas ineſt, per quam efficitur eſſe eum ima„ ginem veritatis. Potens eſt Pater; ſed ſi „ infirmus eſt filius, imago jam non eſt po„ tentis. Bonus eſt Pater; ſed ſi in diverſi ge„ neris divinitate Filius eſt, boni imaginem „ mali natura non reddit... Verus Deus eſt „ Pater: ſi Filius in Dei falſitate eſt, jam non „ eſt veri imago qui falſus eſt. Non ex parte „ imaginem, neque ex portione formam eum „ Dei Apoſtolus prædicat: ſed imaginem eſſe „ Dei inviſibilis loquitur.

Probatur quarto, Chriſtum Deum eſſe poteſtate, *ex ipſius verbis, Joannis* 5. „ Pater

„ meus uſque modo operatur, & ego operor.
„ *Quæ referens S. Evangeliſta, obſervat,*
„ *quod* Propterea magis quærebant eum Judæi
„ interficere: quia non ſolum ſolvebat Sabba-
„ tum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum,
„ æqualem ſe faciens Deo. *Idem probant hæc*
„ *Chriſti verba ibidem*: Sicut Pater ſuſcitat
„ mortuos & vivificat, ſic & Filius, quos
„ vult, vivificat. Neque enim Pater judicat
„ quemquam: ſed omne judicium dedit Filio,
„ ut omnes honorificent Filium, ſicut honori-
„ ficant Patrem. *Et infra*: Opera quæ dedit
„ mihi Pater ut perficiam ea: ipſa opera quæ
„ ego facio, teſtimonium perhibent de me,
„ quia Pater miſit me.

Objicies verba Servatoris eodem in capite dicentis: „ Non poteſt Filius a ſe facere quid-„ quam, niſi quod viderit Patrem facientem. „ Quæcumque enim ille fecerit: hæc & Filius „ ſimiliter facit „. Ex quibus colligi videtur, Filium non eſſe ejuſdem cum Patre poteſtatis.

Reſpondeo, Filium eo ſenſu dici non poſ-ſe a ſe facere quidquam, quia non eſt ingenitum principium, ſed principium de principio; nimirum de Patre, a quo ſicut eſſentiam, ita & eamdem poteſtatem generatione communicatam accipit. Non autem hæc de ſe pronuntiat, quaſi ſit a Patre dependens, ejuſque legibus ſubditus & imperio ſecundum divinitatem. Id ita exponit S. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate, cap. 1. ubi hanc in iſtis & ſimilibus loquendi formis præfinit regulam, ut „ non inæ-

qua-

„ qualitas, ſed nativitas Filii oſtendi *credatur.* „ Et ita videt Filius Patrem, ut quo eum vi- „ det, hoc ipſo ſit Filius. Non enim aliud illi „ eſt eſſe de Patre; id eſt, naſci de Patre, „ quam videre Patrem, aut aliud videre ope- „ rantem, quam pariter operari. Sed ideo „ non a ſe, quia non eſt a ſe. Et ideo, quæ „ viderit Patrem facientem, hæc eadem facit „ & Filius ſimiliter, quia de Patre eſt. Ne- „ que enim alia ſimiliter, ſicut pictor alias ta- „ bulas pingit, quemadmodum alias ab alio pi- „ ctas videt: nec eadem diſſimiliter, ſicut „ corpus eaſdem litteras exprimit, quas ani- „ mus cogitavit: ſed, Quæcumque, inquit, „ Pater facit, hæc eadem Filius facit ſimili- „ ter. Et hæc eadem dixit, & ſimiliter; ac per „ hoc inſeparabilis & par eſt operatio Patri „ & Filio, ſed a Patre eſt Filio.

Probatur quinto Chriſtum eſſe Deum *pro-feſſione*, ex loco inſigni quo Baptiſmi formam præſcribit Matth.28. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Enim vero niſi Filius & Spiritus Sanctus Patri æquales eſſent, & ejuſdem cum eo naturæ, Baptiſmus in eorum nomine ac profeſſione non daretur: cum Deo ſit nefas conjungi & connumerati creaturam. Quod argumentum urget S. Athanaſius Orat.3. contra Arianos.

Idem ſignificant Concilii primi Conſtantinopolitani Patres in Synodica ad Occidentales Epiſtola, dum aſſerunt, *Fidem noſtram Ba-*

ptiſmo conſentaneam docere nos credere in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: nempe ut divinitas & virtus, & ſubſtantia una Patris, & Filii, & Spiritus Sancti credatur.

Id etiam evincunt inſignia illa ex Evangelio S. Joannis petita teſtimonia. (Joannis 3.) *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Et, *qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et cap. 6. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Et cap. 9. Chriſtus ſanatum a ſe cæcum natum interrogat, dicens: *Tu credis in Filium Dei?* illo vero ſciſcitante, *Quis eſt, Domine, ut credam in eum?* Reſpondit Jeſus: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Tum ille: *Credo*, inquit, *Domine, & procidens adoravit eum.* Quod illius factum Chriſtus approbavit. Et cap. 11. ad Martham de ſeipſo loquens: *Ego ſum*, inquit, *reſurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum.* Et cap. 14. his verbis Diſcipulos compellat: *Creditis in Deum? & in me credite.* Quæ teſtimonia Filium pariter ac Patrem objectum eſſe primarium Fidei noſtræ demonſtrant; adeoque illum profeſſione Deum eſſe.

Probatur ſecunda pars propoſitionis, refelli ſcilicet Arianos, & Socinianos Filii Dei conſubſtantialitatem cum æterno Patre negantes, auctoritate Traditionis, cujus originem do-

docuimus a Clemente Romano in Epiſtola ad Corinthios: *Per hunc*, inquit, (ſcilicet Jeſum Chriſtum) *vultum ejus*, id eſt, Dei Patris, *immaculatum & ſublimem tamquam in ſpeculo intuemur. Per hunc oculi cordis noſtri aperti ſunt, per hunc intellectus noſter inſipiens & obtenebratus admirabilem ejus lucem attente contemplatur. Qui magnificentiæ ejus ſplendor & radius exiſtens tanto major eſt Angelis, quanto præſtantius nomen ſortitus eſt. Scriptum eſt enim: Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Dei Filio autem ſuo ſic dixit Dominus, Filius meus es tu, ego hodie genui, non feci te,*

Eidem doctrinæ atteſtatur S. Ignatius Martyr, in Epiſtolis ad Epheſios & ad Magneſianos, quarum loca aliàs retulimus.

Secundo pariter ſæculo eamdem doctrinam tradidit S. Juſtinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem. *Profitemur* (inquit) *nos talium, qui habentur, Deorum eſſe expertes, & Atheos, ſed non veriſſimi illius Dei, Patris juſtitiæ, & caſtitatis, & virtutum aliarum. Verum hunc ipſum, & qui ab eo venit Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Lege alia ejuſdem S. Juſtini loca ex utraque Apologia & ex Dialogo cum Tryphone Judæo, quibus argumenta tum a veteribus, tum etiam a novis Arianis propoſita aperte refutantur. Ea vero hic referre omittimus, ut brevitati, quam

nobis propoſuimus, quantum fieri poteſt, ſerviamus.

Accedit Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Imperatores data, in qua Chriſtianos non eſſe Atheos probat (quod ipſis paſſim ab Ethnicis objiciebatur,) quod unum Deum colant „ Ingenitum & æternum, nec „ aſpectabilem, patiendi expertem, qui ne- „ que comprehendi, neque loco capi poſſit; „ cum ſola mente ac ratione comprehenda- „ tur... a quo univerſitas eſt facta per Ver- „ bum ipſius, eademque digeſta eſt, & con- „ tinetur. *Mox de Dei Filio loquens, aſſerit* „ *eſſe* Verbum ipſius in idea & efficientia. „ Nam ab ipſo, & per ipſum omnia facta „ ſunt; cum ſit unum Pater & Filius: ac Fi- „ lius in Patre, & Pater in Filio ſit unione & „ potentia Spiritus. Mens, & Verbum Dei „ Filius eſt Dei. *Addit*, Primigeniam eſſe „ Patris progeniem, non quaſi factum ſit, „ (a principio quippe Deus, qui eſt æterna „ mens habebat in ſe ipſo λόγον, id eſt, ratio- „ nem, cum æternum ſit rationalis.) Sed ita „ ut cum materia concreta omnia informiſque „ natura, atque terra inſtar vehiculi ſubjician- „ tur, in iiſque craſſiora levioribus admixta „ ſint ad hoc ut idea & actus illorum eſſet, „ prodierit.

Quæ verba cur Petavius Arianis favere exiſtimaverit, prorſus neſcio; cum Filium ab æter-

æterno in Patre exiſtere hoc in loco Athenagoras aſſerat. Nec refert quod rationem, ſive ſermonem, & ideam rerum condendarum vocaverit. Hæc enim cum Verbi, aut Filii nominè apud Veteres vocabula ſynonima ſunt. Quod autem ait Verbum prodiiſſe ut idea, & actus eſſet infimarum rerum, hoc eſt, ut illas confuſas & tumultuarias perpoliret: non probat Athenagoram exiſtimaſſe tunc primum prodiiſſe hypoſtaſim Verbi, cum mundus conditus eſt, ſed tunc ſolum Verbum extrinſecus fuiſse operatum. Hinc Athenagoras quam maxime adverſatur Arianis, ſi recte ejus verba interpretentur.

S.Irenæus ejuſdem traditionis teſtis eſt lib.3. adverſus Hæreſes, cap.X. ubi ait; Magos Chriſtum in cunis adorantes, *Per ea quæ obtulerunt munera oſtendiſſe quid erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur. Aurum vero, quoniam Rex, cujus regni finis non eſt. Thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judæa Deus factus eſt, &c.* Deus porro in Judæa notus vere & proprie Deus eſt, magnuſque Deus. Et cap.16. „ Cum, „ *inquit*, declaratum ſit manifeſte, quoniam „ neminem alium Deum vocaverunt, vel Do- „ minum nominaverunt, qui veritatis fuerunt „ Prædicatores, & Apoſtoli libertatis niſi ſo- „ lum verum Deum Patrem & Verbum ejus, „ qui in omnibus principatum habet: manife- „ ſte erit oſtenſum, quod Patrem cæli, & ter-

„ ræ, & qui locutus ſit cum Moyſe, & legis
„ diſpoſitionem ei dederit, qui convocaverit
„ Patres, Dominum Deum confiteri eos, &
„ alterum neminem noſse. *Et cap.*20. Exclu-
„ ſa eſt, *inquit*, omnis contradictio dicentium:
„ Si ergo tunc natus eſt, non erat ante Chri-
„ ſtus. Oſtendimus enim quia tunc non cœpit
„ Filius Dei, exiſtens ſemper apud Patrem.
„ *Et lib.*4. *cap.*11. Ipſe igitur Chriſtus cum
„ Patre vivorum eſt Deus, qui & locutus eſt
„ Moyſi, & qui Patribus manifeſtatus eſt „.
Lege alia ejuſdem S. Irenæi teſtimonia, ex quibus eam, quam propugnamus Traditionem luculenter apparet; quæ omittimus, cum ea quæ ſupra recenſuimus, ſatis ſint ad ejus doctrinam declarandam.

Objici poteſt S. Irenæum lib.4. cap.17. Filium vocare Miniſtrum Patris: *Miniſtrat*, inquit, *ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua: id eſt, Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus ſerviunt, & ſubjecti ſunt omnes Angeli*. Et cum illa Pſal.33. verba retulisſet: *Quoniam ipſe præcepit, & creata ſunt, ipſe dixit & facta ſunt*, mox addit: *Cui ergo præcepit? Verbo ſcilicet; per quod, inquit, cæli firmati ſunt*.

Reſpondeo, benigne exponendum eſse miniſterii verbum, prout idem ſignificat ac cooperationem. Vult itaque S. Irenæus creandi voluntatem Patri tamquam primo principio adſcribendam & Filio per Patrem communicatam. Quam autem innoxius ſit hic loquendi modus,

dus, ex eo conſtat, quod ipſi Patres qui poſt Concilium Nicænum contra Arianos ſcripſerunt, eumdem paſſim uſurpaverint; quod præſertim ex S. Hilario, atque etiam ex aliis, oſtendi facile poteſt.

Catholicum de Filii Divinitate dogma æque aſserit Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagogi, cap. 6. „ Sed eum Filium, *inquit*, „ cum Deus eſset, nihil didiciſse fuit conſen- „ taneum. Neque enim quis Verbo major fue- „ rit; ſed neque magiſter, aut doctor eſt ejus „ qui ſolus eſt magiſter. An non ergo vel in- „ viti fatebuntur, Verbum perfectum ex per- „ fecto Patre natum „?

Dionyſius Romanus Pontifex, qui ſedebat anno Chriſti 259. eidem Fidei teſtimonium perhibet, ut conſtat ex ipſius Epiſtola contra Sabellianos, cujus locum inſignem laudat Sanctus Athanaſius in libro de Synodi Nicænæ Decretis. „ Deinceps, *inquit*, adverſus eos di- „ cam, qui dividunt & ſecant & evertunt re- „ ligioſiſſimum dogma Eccleſiæ Dei, Monar- „ chiam in tres quaſdam virtutes partientes, „ & diverſas hypoſtaſes, ac deitates tres. „ Nam audio quoſdam apud vos eſse inſtituto- „ res & doctores divini Verbi, qui illius ſunt „ opinionis auctores; qui ex diametro, ut ſic „ dicam, pugnant, cum Sabellii placitis. Hic „ enim blaſphemat, Filium ipſum aſserens eſse „ Patrem, & e converſo Patrem eſse Filium. „ At iſti tres quodammodo Deos prædicant, „ dum ſanctam Monadem dividunt in tres hy-

„ poſtaſes peregrinas a ſe invicem plane ſepa-
„ ratas. Etenim neceſse eſt uniri omnium Deo
„ Dei Verbum, & in Deo manere, & habi-
„ tare Spiritum Sanctum: jam vero divinam
„ quoque Trinitatem in unum, velut in caput
„ quoddam, ac ſummam, Deum univerſorum
„ colligi, & coaleſcere, prorſus eſt neceſse.
„ Quippe Marcionis eſt inſani dogma, in tria
„ principia ſecare, ac dividere: quæ eſt dia-
„ bolica doctrina, non autem eorum qui revera
„ diſcipuli ſunt Chriſti, & Salvatoris diſcipli-
„ na delectantur. Nam hi Trinitatem a Scriptu-
„ ra ſacra prædicari plane intelligunt: tres au-
„ tem Deos neque in veteri, neque in novo
„ Teſtamento doceri.

Sanctus quoque Dionyſius Alexandrinus eamdem tradidit doctrinam. Plurima ejus teſtimonia legere eſt apud Sanctum Athanaſium libro in quo ipſius vindicias ſuſcepit. *Numquam fuit*, inquit, *quando Deus Pater non erat... Cum enim ſit ſplendor lucis æternæ, prorſus æternus eſt & ipſe*. Ait denique Filium ὁμοούσιον eſse Patri, id eſt, *ejuſdem cum Patre eſſe ſubſtantiæ*.

Tertullianum Filii Divinitatem profeſsum fuiſse ac propugnaſse demonſtratur facillime, quidquid in contrarium effutiant Adverſarii.

S. Cyprianus Magiſtro Tertulliano apertius loquitur. In libro enim de Idolorum vanitate, hæc habet: *Unus Dominus eſt Deus. Neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem*. Et infra

infra: *Hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt*. Chriſtum itaque unum eſſe ac verum cum Patre Deum S. Cyprianus & credidit, & docuit. Et lib. de bono Patientiæ; *Hic eſt*, inquit, *Deus noſter, ideſt, non omnium, ſed Fidelium & credentium Deus, qui cum in ſecundo adventu manifeſtus venerit, non ſilebit*. Et *Pater Deus præcepit Filium ſuum adorari*.

Arnobius lib. 1. contra Gentes idem conſtanter & dilucide profitetur. *Et ideo*, inquit, *Chriſtus, licet vobis invitis, Deus; Deus, inquam, Chriſtus (hoc enim ſæpe dicendum eſt, ut infidelium diſſiliat, & dirumpatur auditus) Dei principis juſſione loquens, ſub hominis forma*, &c. Et lib. 1. *Deus ille ſublimis*, inquit, *Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium Principe Deus Soſpitator eſt miſſus*. Exiſtimavit itaque Arnobius, Chriſtum eſſe verum & ſublimem Deum, unum & eumdem eſſentia cum eo a quo miſſus eſt.

Lactantius Arnobii Diſcipulus Chriſti Divinitatem egregie confirmat. *Lib. 4. Divinarum Inſtitutionum, cap. 12.* ait, Chriſtum numquam vocatum fuiſſe Emanuelem, ſed Jeſum, qui Latine dicitur ſalutaris, ſive Salvator, qui cunctis gentibus ſalutifer venit. *Sed Propheta declaravit hoc nomen, quod Deus ad homines in carne venturus eſſet. Emanuel autem ſignificat: Nobiſcum Deus: ſcilicet quia illo per Virginem nato, confiteri homines oportebat Deum ſecum eſſe, id eſt, in terra & in carne mortali. Unde David in Pſalmo 84. Veritas, inquit, de*

 ter-

terra orta eſt, quia Deus in quo veritas eſt, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam ſalutis aperiret.

Et cap. 13. *Filium*, inquit, *bis naſci oportuit, ut ipſe fieret* ἀπάτωρ, *atque* ἀμήτωρ. *In principio enim nativitate ſpiritali* ἀμήτωρ *fuit, quia ſine officio matris, ſolo Deo Patre progeneratus eſt. In ſecunda vero carnali* ἀπάτωρ *fuit, quoniam ſine Patris officio virginali utero procreatus eſt, ut mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemque naturam, quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere, factus eſt Dei Filius per Spiritum, & hominis per carnem, id eſt, Deus & homo. Dei virtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit: fragilitas hominis ex paſſione quam pertulit... Interim & Deum fuiſſe, & hominem ex utroque genere permixtum, Prophetis vaticinantibus, diſcimus.* Deinde ad id probandum laudat illa verba Iſaiæ 45. *Quoniam in te Deus eſt, & non eſt alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & neſciebamus, Deus Iſrael Salvator.* Et illa Baruch. 3. *Hic Deus noſter, & non dubitabitur alius abſque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi. Poſt hæc in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt.* Et illa Pſalmi 44. *Thronus tuus Deus in ſæcula ſæculorum, virga æquitatis, virga regni tui.*

Denique cum Arius peſtiferam hæreſim evomuit, ſtatim ab Eccleſia ut Dei hoſtis, & Ca-

Catholicæ veritatis proditor ejectus eſt, & anathemate confoſſus in Conciliis Alexandrinis, ac deinde in Concilio 1. Nicæno Œcumenico, quod in Symbolo Fidei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, *Filium Dei*, profeſſum eſt, *genitum ex Patre unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum; conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt quæ in cælo ſunt, & in terra.* Profeſſioni vero Fidei hoc anathema ſubjunxerunt tercenti decem & octo Patres: *Eos autem qui dicunt, Fuit aliquando tempus cum non eſſet, & antequam gigneretur non erat; vel quod de non extantibus factus eſt: aut qui ex altera ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe Filium Dei, aut creatum, converſioni, mutationique obnoxium, anathematizat ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia.*

Exinde Patres omnes Arianam hæreſim confutarunt ac debellarunt.

Objicies primo. Qui creatura eſt, non eſt verus Deus; ſed Filius Dei creatura eſt: non eſt igitur verus Deus.

Probatur minor ex Scriptura ſacra, Proverb.8. ubi ſecundum Verſionem 70. Interpretum ita legitur: *Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Et Eccl.24. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabercaculo meo.* Et, *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.*

Reſpondeo, nego minorem. Ad ejus pro-

probationem reſpondeo, aliter ex Hebræo transferendum eſſe, nimirum Κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus poſſedit me* (ut habet Vulgata noſtra) non vero ἔκτισε id eſt, creavit, vel condidit, quemadmodum plerique Veterum legerunt. Hebraicam lectionem hoc in loco potius eſſe ſequendam Euſebius Cæſareenſis contendit lib. 3. *de Eccleſiaſtica Theologia*, c. 11. *Multumque itereſſe* notat *inter creare & poſſidere*: *Quod creatio ex communiori notione, tranſitum ſignificet ab eo quod non eſt, ad id quod eſt; poſſeſſio vero rei jam exiſtentis proprietatem in eo qui poſſidet*. Sic eumdem locum ex Hebræo caſtigat S. Hieronymus Epiſtola 139. ubi & multam diverſitatem inter poſſeſſionem & creationem eſſe monet: Quia *Poſſeſſo ſignificat, quod ſemper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Creatio autem ejus, qui prius non erat, conditionis exordium*. Communem quoque illam lectionem, in qua habetur, ἔκτισε, *creavit*, S. Baſilius lib. 2. & S. Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium & S. Epiphanius *Hæreſi 69. n. 25.* vehementer improbant.

Reſpondeo ſecundo, hunc locum, & alia in objectione laudata, de Sapientia incarnata intelligenda eſſe, ſive de natura aſſumpta a verbo: non vero de Sapientia increata, ſive de Verbo ut Deus eſt. Nam ipſa Sapientia illud verbum, *creavit*, aliis dictionibus paullo poſt interpretata eſt, dum ait: *Sapientia ædificavit ſibi domum*. Certum *enim eſt domum Sapientiæ eſse noſtrum corpus, quo aſsumpta, Sapien-*

pientia iſta homo facta: atque ideo merito ab Joanne dictum eſt: Verbum caro factum eſt: ut ait S. Athanaſius *Orat.3. adverſus Arianos*. Verba igitur iſta: *Dominus creavit me initio viarum ſuarum*, eamdem vim habent ac iſta: *Pater mihi corpus perfecit, & inter homines me creando conſtituit pro hominum ſalute. Nam quemadmodum ex Joanne audientes, Verbum carnem factum eſſe: non totum Verbum carnem eſſe factum intelligimus, ſed carnem induiſſe, & hominem eſſe factum: atque audientes, Chriſtum pro nobis maledictum eſſe factum, non in totum illum piaculum aut peccatum factum eſſe credimus, ſed illud piaculum quod in nobis fuit, ſuſcepiſſe: ita quoque ſi audiamus in proverbiis hanc vocem, Creavit, non debemus in totum Verbum naturaliter creaturam eſſe exiſtimare, ſed creatitium corpus induiſſe, Deumque illud pro nobis creaviſſe, noſtri cauſa id corpus creatitium perficientem, ut in eo inſtaurare & deificari poſſemus*. Ita S. Athanaſius.

Obſervat idem Pater, eodem in loco Proverbiorum, Sapientiam de ſeipſa dicere. *Ante omnes colles genuit me*, neque dixiſſe, *genuit me initium viarum ſuarum*, ſed abſolute, *genuit me*. At vero creandi verbo adjeciſſe, *initium viarum ſuarum*, ut oſtenderet non ſimpliciter abſoluteque creatum intelligi, ſed ſecundum quid (ut Scholaſtici loquuntur) ſive alicujus rei obeundæ gratia. En S. Athanaſii verba. *Nam & iſtic hoc verbum (creavit) cauſſam cur creatus ſit, ſubſequentem habet, quia ad-*

additum eſt (ad opera) contra nativitatem ſuam ex Patre abſolute exprimens, ſtatim ſubintulit: Ante omnes colles genuit me: non cur genitus eſſet quemadmodum in hoc dicto (creavit) ſubjunxit, ad opera ſua: ſed ſimpliciter & abſolute, genuit me: quemadmodum & hoc, In principio erat Verbum. Nam etiamſi opera condita non fuiſſent, æque tamen erat Verbum Dei, & Deus erat Verbum. Ceterum ut fieret homo, numquam deſtinatum fuiſſet, niſi hominum neceſſitas ejus rei cauſſam præbuiſſet. Non igitur creatura Filius haberi poteſt. Si enim creatura eſſet, numquam dixiſſet, genuit me. Nam creaturæ nihil eſſentiæ Creatoris habent: quippe quæ dumtaxat ſint opera. Verum, genitum eſſe, non extraneum quiddam, quale opus eſt, denotat: ſed quiddam proprium, quod ex ſubſtantia Patris emerſit.

Reſpondeo tertio, duo illa verba, *creare* & *generare*, idem ſignificare ſæpius apud Latinos; quod S. Hieronymus in cap.4. Epiſtolæ ad Epheſios, & S. Auguſtinus *lib. de Fide & Symbolo*, notarunt. Idcirco autem vox creationis in Scriptura ſacra uſurpatur, ut demonſtretur divinam generationem omnis eſſe mutationis & paſſionis expertem. Iſta reſponſio eſt S. Hilarii *lib: de Synodis pag.* 105. *Sapientia*, inquit, *quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam; creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus ſpeciem & conſuetudinem, ſine imminutione aliqua, ac demutatione ſui*

ſui, creavit ex ſeipſa quod genuit. Creantis enim opus non habet paſſionem aut permiſtionis, aut partus. Eſſe enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate quod erat: & eſt opus virtutis creatio, non naturæ ex natura gignente nativitatis. At vero nativitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus eſt. Ex natura enim generante naturam ſumpſit genita natura. Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis eſt genitus exemplo, ſed ex perfecto Deo perfectus Deus natus eſt: idcirco ait creatam ſe eſſe Sapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens. At vero ut oſtenderet non creationis in ſe, ſed nativitatis naturam eſſe, ſubjicit et genitam; ut cum creatam ſe & genitam confitetur; abſolutam nativitatis ſuæ intelligentiam præſtaret: dum & indemutabilem Patris naturam in creatione ſignificat, & legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ ſuæ oſtendit eſſe ſubſtantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam creationis & generationis attulit ſermo: cum alterum ſine demutatione, alterum in proprietate naturæ eſt.

Reſpondeo quarto, laudata in objectione teſtimonia exponi poſſe de increatæ Sapientiæ veſtigio & imagine, quæ conditis rebus impreſſa eſt. Cum autem hæc imago creata ſit, Archetypum ejus, nimirum æterna ipſa Sapientia creatam ſe dicit translatione quadam attributorum. Hæc reſponſio eſt S. Athanaſii Oratione 3. contra Arianos. „ Dominus, *inquit*,

„ *quit*, creavit me in opera. Mea eſt enim
„ imago, quæ in creatis rebus apparet. Ac
„ ſic ego me ad officium accomodavi. Neque
„ vero mirari convenit, quod de imagine
„ ſua, tamquam de ſeipſo loquatur Filius:
„ quandoquidem iſtud ipſum appellare non ve-
„ retur Deum. Et cum Saulus perſequeretur
„ Eccleſiam, in qua typus erat illius & ima-
„ go, tamquam ipſe perſecutionem patere-
„ tur, dixit; Saule quid me perſequeris?

Reſpondeo quinto, nec increatam, nec creatam ſapientiam his teſtimoniis intelligi; ſed ſapientiam in genere, prout agentium dianoeticorum operibus præſidet, eaque in opificiis condendis, ordinandis, & exornandis dirigit. Illam itaque Salomon in Proverbiis, ubi figuratarum locutionum ſollemnis eſt uſus per Proſopopœjam inducit ita loquentem: *Dominus creavit me initium viarum ſuarum*. Quaſi perſona quædam eſſet, puta virgo ac regina, a Deo ante omnia procreata. Hanc reſponſionem approbat S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 36. & S. Auguſtinus *Sermone* 58. *de verbis Domini ſecundum Joannem*.

Objicies ſecundo. Ille non eſt æqualis & conſubſtantialis Patri, quo major eſt Pater: atqui Filio major eſt Pater: igitur Filius Dei non eſt æqualis & conſubſtantialis Patri: nec proinde verus Deus. Probatur minor ex verbis Chriſti, Joannis 14. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*.

Re-

Reſpondeo, diſtinguo minorem, & ſententiam Chriſti. Filio major eſt Pater, ſi ſpectetur Filius ſecundum naturam aſſumptam, concedo: ſecundum divinitatem, nego. Chriſtus itaque ſe minorem Patre profeſſus eſt ſecundum naturam humanam, qua ſuſcepta minoratus eſt, non a Deo ſolum, ſed etiam ab Angelis, ut Apoſtolus ait. Sic intelligendum eſſe hunc locum, patet ex Chriſti conſilio. Volebat ille Diſcipulos conſolari ſuos ob proximum illius e mundo diſceſſum lugentes. Majorem ipſis gaudii, quam doloris eſſe rationem ait, quia mox rediturus erat ad Patrem; poſito mortali ſtatu, paternam in gloriam recipiendus. Quemadmodum ſi Principis filius peregre profectus in longinquam regionem egeſtatem, ac ærumnas multas paſſus ſit, & ad Patris ditionem ac ædes redire propterea geſtiat conſors regni futurus, gaudere debent qui illum amant, quod ad Patrem revertatur. Porro Chriſtus revertebatur ad Patrem ut homo. Cum itaque ſe minorem Patre dixerit quatenus redibat ad Patrem: conſequens eſt ipſum dixiſſe Patrem ſe majorem qua homo eſt, non qua Filius. Hæc expoſitio eſt S. Cyrilli lib.X. in Joannem cap.1. pag.846. & ſeqq. ubi fuſe, ſubtiliter, & erudite hunc locum pertractat. Sic illum interpretantur S. Athanaſius lib. *de humana natura ſuſcepta*, S. Hilarius lib.9. *de Trinitate*, S. Ambroſius lib.3. *de Fide* cap.4. aliique cum S.Ambroſio Italiæ Epiſcopi in Concilio Aquilejenſi contra Palladium

ac

ac Secundinum Arianos Epiſcopos, S. Auguſtinus lib.3. *contra Maximinum* cap.14. & alibi paſſim, aliique Patres, quos vel enumerare longum eſſet.

Contra. Plerique SS. Doctorum, Patrem Filio majorem eſſe aſſerunt, etiam qua Deus eſt, ſcilicet S. Alexander Patriarcha Alexandrinus in Epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Concilium Sardicenſe in Epiſt. Synodica, S. Athanaſius *Oratione* 2. *contra Arianos*, S. Baſilius Magnus lib. 1. *contra Eunomium*, S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 35. 36. *&* 40. S. Cyrillus Alexandrinus lib.3. Theſauri, S. Joannes Damaſcenus *lib.* 1. *cap.*6. Sanctus Hilarius lib.9. *de Trinit.* S. Auguſt. *lib. de Fide, & Symbolo cap.*9. & *lib.*3. *contra Maximinum cap.*14. Ergo non ſolum ratione ſuſceptæ humanitatis, ſed ratione etiam divinitatis Filius minor eſt & inferior Patre.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens, Patrem Filio majorem eſſe aſſerunt, notione quadam & dignitate perſonali, quatenus Filio prior eſt origine, & ejus principium, concedo: majorem dignitate naturæ, quaſi Filius ipſi natura inferior, poſterior duratione, perfectione ſit impar, nego. Non aliud voluit S. Alexander in Epiſtola laudata, apud Theodoret. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap.4. „ Hunc, *inquit*, con-
„ verſionis ac mutationis expertem proinde ac
„ Patrem, nullius egentem, & perfectum Fi-
„ lium, Patrique ſimilem eſſe didicimus, hoc
„ ſolo inferiorem Patre quod ingenitus non eſt.
„ Eſt

„ Eſt enim imago Patris exactiſſima, & in
„ nullo diſcrepans. Quippe liquet eum ima-
„ ginem eſſe plene omnia continentem, qui-
„ bus maxima ſimilitudo declaratur, ſicut &
„ ipſe Dominus docuit, cum ait: Pater ma-
„ jor me eſt.

Et infra: „ Itaque Patri quidem ingenito
„ propriam dignitatem ſervare oportet, nul-
„ lam eum habere exiſtentiæ ſuæ cauſſam pro-
„ fitendo. Filio vero competens honor tri-
„ buendus eſt principio carentem ex Patre ge-
„ nerationem ei aſſignando, cultumque ei,
„ ſicut diximus, exhibendo, ita ut tantum-
„ modo, erat, & ſemper, & ante ſæcula,
„ pie ac religioſe de illo prædicemus: divini-
„ tatem quidem ejus nequaquam rejicientes,
„ ſed imagini atque exemplari Patris reſpon-
„ dentem in omnibus ſimilitudinem ei adſcri-
„ bentes. Solum vero, ingenitum, Patris pro-
„ prium eſſe dicamus, cum & ipſe Servator
„ dixerit, Pater major me eſt.

Non aliud voluere Sardicenſes Patres in Epiſtola Synodica. *Nemo*, inquiunt, *negat Patrem Filio majorem eſſe, non ob aliam hypoſtaſim* (id eſt ſubſtantiam) *nec ob aliam differentiam; ſed quia nomen Patris ipſum majus eſt nomine Filii*.

Non aliud voluit S. Athanaſius *Oratione 2. contra Arianos pag.* 180. ubi notat eam ob cauſſam non eſſe dictum a Filio *Patrem ſuum ſe meliorem eſſe, ne ſeipſum externum, alienumque ab illius natura exiſtimarent; ſed Pater,*

in-

inquit, *major eſt*, *non quidem magnitudine aut ætate*, *ſed quia ex illo ortum habebat*. Noluit aliud S. Baſilius Magnus lib. I. contra Eunomium: „ Pater, *inquit*, major me eſt, qua-
„ tenus videlicet eſt Pater. Porro vox iſta,
„ Pater, quid aliud ſignificat, niſi quod cauſ-
„ ſa ſit & principium ejus qui a ſe genitus eſt?
„ Porro autem ſubſtantia major, ſubſtantia vel
„ minor ſecundum ſapientiam veſtram non di-
„ citur„. Mens eadem fuit S. Gregorii Nazianzeni *Oratione* 35. dicentis *Patrem*, *quantum ad cauſſam*, *Filio majorem eſſe*. Inſtantibus vero Arianis, inde ſequi Patrem natura majorem eſſe Filio, quia natura cauſſa eſt, ſeu principium Filii, reſpondet: *Non ſimpliciter quæcumque de aliquo dicuntur*, *etiam de eo quod ipſi ſubjectum eſt dici*. Naturam eſse quaſi ſubjectum cui proprietas illa & dignitas veluti ineſt, proindeque neceſse non eſse, ut naturæ conditio illa *majoris* tribuatur, quamvis in cauſsam ſeu principium cadat. Hanc itaque Arianorum objectionem fallacia peccare monet S. Gregorius Nazianzenus; *& ab eo quod ſecundum rationem quamdam dicitur*, *ad id quod ſimpliciter dicitur*, *captioſe*, *progredi*. *Nam cum nos*, inquit, *hanc vocem*, *majus*, *cauſſæ naturæ tribuamus*, *inferunt ipſi natura majorem eſſe*. *Quod perinde eſt ac ſi dicentibus nobis*, *hic mortuus homo*, *inferrent ipſi*: *Ergo homo*.

Eadem mens fuit S. Cyrilli Alexandrini in Theſauro Aſſertione 11. pag. 85. „ Noſtræ ve-
„ ro conſuetudini ſeſe accomodans (*inquit*)
„ Pa-

„ Patri hoc tribuit, ut major ſit: ut nimirum „ undequaque dualitas perſonarum gignentis & „ genitæ ſignificetur. Tribuit autem æqualita- „ tem, ne aliqua Patris a Filio eſſentiæ diſſi- „ militudo intelligatur. Æqualis itaque eſſen- „ tiæ ratione exiſtens cum Patre Filius, ſimi- „ liſque per omnia, majorem illum vocat, „ tamquam principio carentem ipſe principium „ habens, ea tantum ratione quod ex Patre „ eſt: tametſi exiſtentiæ ratione cum eo con- „ veniat.

Addit S. Cyrillus, minus apte, minuſque commode ea inter ſe conferri quæ diverſæ naturæ ſunt: nemo enim hominis naturam inquirens, dixerit, bovem homine eſſe majorem: ea autem inter ſe optime comparari ait, quæ ſunt ejuſdem naturæ. Ex quo colligit, Filium ejuſdem eſse naturæ cum Patre, hoç ipſo quod cum eo in ratione majoris & minoris confertur. Conſubſtantiale namque non poteſt conſubſtantiali majus aut minus eſse ratione ſubſtantiæ. Sic homo non eſt homine major quatenus homo eſt. Aliud ſtatuit principium S. Cyrillus, nempe differentiam in iis quæ ὁμοίσια ſunt, ex accidentibus peti. Hæc vero ut plurimum ex paſſione, aut alia cauſsa emergere, non in ratione ſubſtantiæ ſita eſse. Sic homo homine major eſt mole & robore corporis, aut mentis acumine, non vero ſubſtantia. Cum igitur Deus omnis paſſionis expers ſit, nulla plane ratione ſuperare Patrem Filium conſe-

quens

quens eſt. *Dicitur vero major, ut Principium coæterni germinis.*

Eadem mens fuit S. Joannis Damaſceni *lib.* 1. *de Fide Orthodoxa* cap. 6. „ Quod ſi di- „ cimus (*inquit*) Patrem eſse principium Fi- „ lii, eoque majorem; non priorem illum eſ- „ ſe Filio ſignificamus tempore, vel natura „ (Nam per ipſum fecit ſæcula) aut alio quo- „ piam, præterquam ratione cauſsæ: nimi- „ rum quia Filius a Patre genitus eſt; non „ Pater a Filio: & quia Pater naturaliter eſt „ cauſsa Filii.

Ante iſtos mens eadem fuit S. Hilarii lib. 9. de Trinitate. „ Numquid (*inquit*) Pater ma- „ jor non eſt? Major utique Pater eſt, dum „ Pater eſt: ſed Filius dum Filius eſt, minor „ non eſt. Nativitas Filii Patrem conſtituit „ majorem; minorem vero Filium eſse, na- „ tivitatis natura non patitur. *Et infra*: Si „ igitur donantis auctoritate Pater major eſt, „ numquid per doni confeſſionem minor Filius „ eſt? Major itaque donans eſt; ſed minor „ jam non eſt, cui unum eſse donatur... Ma- „ jor itaque Pater Filio eſt, & plane major, „ cui tantum donat eſse, quantus ipſe eſt; qui „ innaſcibilitatis eſse imaginem, Sacramento „ nativitatis impertit; quem ex ſe in forma „ ſua generat; quem rurſus de forma ſervi in „ formam Dei renovat.

Mens eadem fuit Marii Victorini libr. 1. contra Arium, dicentis: *Major Pater, quod*

ipſe

ipſe dedit ipſi omnia, & cauſſa eſt ipſi Filio ut ſit, ut iſto modo ſit.

Denique mens eadem fuit S. Auguſt. lib. *de Fide & Symbolo cap.*9. ubi illum S. Joannis locum, *Pater major eſt*, partim *propter adminiſtrationem ſuſcepti hominis* dici ait: partim quia Filius *Patri debet quod eſt, hoc etiam utique debens Patri quod eidem Patri æqualis, aut par eſt; Pater autem nulli debet quidquid eſt.* Et lib. 3. contra Maximinum cap. 14. minorem dici Filium oſtendit *vel ex forma ſervi, in qua vere minor eſt Patre: vel ut demonſtraretur alter eſſe ex altero.*

Objicies tertio. Qui neſcit diem judicii, non eſt unius eſſentiæ cum Patre, & verus Deus; ſiquidem non conveniunt ipſi omnia Dei attributa, quorum unum eſt omnium ſcientia: Atqui Filius neſcit diem extremi judicii: non eſt igitur unius eſſentiæ cum Patre & verus Deus.

Probatur minor ex illis verbis Chriſti, Marci 13. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* Et Matt. 24. *de die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.*

Reſponderunt huic argumento SS. Patrum nonnulli, Chriſtum neſcire diem judicii ut hominem, ſcire ut Deum. Ita S. Athanaſius Oratione 4. adverſus Arianos: *Cum hominibus* (inquit) *tamquam homo neſcit, Divinitas au-*

tem exiſtens in Patre, utpote Verbum, & Sapientia, novit, & nihil ignorat.

Eodem modo hunc locum exponunt Euſtaſius Antiochenus apud Facundum lib. 11. pagina 462. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 36. S. Baſilius Epiſtola 391. S. Cyrillus Alexandrinus in Theſauro, Aſſertione 22. & alibi paſſim. Noſſe autem Chriſtum & horam judicii, ut Dei Filium: primo quia omnia per ipſum facta ſunt, in quibus eſt & ipſe judicii dies. *Si ipſe eſt conditor ſæculorum & temporum, atque hoc vere ita eſt: quomodo unum diem atque horam ignorare vobis cenſetur? Quomodo item ea quæ fecit, neſcire poteſt?* (inquit S. Cyrillus). Secundo, quia *omnia quæ Pater habet, ſunt Filii, ut ipſe teſtatur; at Pater ultimum illum diem & horam novit*, Igitur *novit etiam Filius. Ita enim vere dixerit: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*. Tertio quia Filius eſt abſolutiſſima Patris imago. Sed *Pater novit diem illum & horam; Filius itaque ſimilis eſt hac in parte Patri; et ſicut novit ille, novit et ipſe*. Quarto, quia Filius Patrem novit. Igitur & finem creaturarum, ſupremique judicii diem novit. Enimvero, *ſi omni notitia ſuperius præſtantiuſque eſt noſſe Patrem: quomodo is qui, quod majus eſt, novit, ignorabit id quod minus eſt?* Quinto, quia Spiritus ſanctus diem judicii non ignorat, nec ipſum ab iſtius diei notitia Chriſtus eſcluſit. Et certe *Si ſpiritus omnia ſcrutatur, etiam occulta Dei (ut ſcriptum eſt;*

eſt) *novit profecto omnia quæ in ipſo ſunt. Quod ſi Spiritus qui omnia ſcit, omniaque inquirere poteſt, a Filio accipit* (*Ille enim, inquit de meo accipiet*) *quomodo Filius cenſebitur ignorare, qui Spiritui omnia ſcienti ſuppeditat?* Has rationes apud S. Cyrillum, loco ſupra laudato, legere eſt.

Verum longe probabilius cum ſit, Chriſtum, qui *Conſtitutus eſt a Deo judex vivorum, & mortuorum*, & *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi*, nequidem ut homo eſt, ſupremi judicii diem & horam, vel quidvis aliud ignoraſſe, reſpondeo, Locutionem illam qua ſe id ignorare Filius aſſerit, figuratam eſſe, idque dicere Chriſtum nomine membrorum, & in ipſorum perſona. Cum enim judicii diem ignorent homines, Chriſtus quod nobis convenit, ſibi ipſi tribuit ut caput noſtrum. Ita hunc nodum ſolvit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in libro adverſus Agnoetas, (apud Photium *Codice* 230.) ubi ait: „ Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, neque „ ſecundum humanitatem quidem, multo minus ſecundum divinitatem, ignoraſſe ſepulchrum Lazari; neque etiam illum ultimum „ diem. Neque enim humanitas Chriſti in „ unam inaceſſibilis & ſubſtantialis ſapientiæ „ hypoſtaſim admiſſa, quidquam velut rerum „ præſentium, ita futurarum poterit ignorare. „ Neque falſum eſſe poteſt quod dixit: Omnia „ quæcumque habet Pater, mea ſunt. An „ ergo & Patri, nihil non audentes, ignoran-

„ tiam adſcribent? Enimvero hoc quod dicit
„ Salvator, Ubi poſuiſtis Lazarum? eo dixiſſe
„ ait, ut præſentes Judæi ſcirent, illorumque
„ memoriam firmaret. Docet etiam alia de
„ Chriſto dicta κατὰ ἀναφορὰν, ſecundum figu-
„ ram, alia κατὰ ἀλήθειαν ſecundum veritatem.
„ Figurate dicitur, Illum pro nobis pecca-
„ tum, & maledictum factum eſſe: neque
„ enim fuit quidquam horum. Sed veluti ſibi
„ caput vindicat ea, quæ ſunt reliqui corpo-
„ ris: ita Chriſtus ea quæ corporis ſunt ſibi
„ aſſignat. Secundum veritatem autem, di-
„ citur homo factus: & eſuriiſſe, & ſitiviſſe,
„ & hoc genus ſimilia. Quod ſi vero quis ve-
„ lit dicere eum figurate & anaphorice aliquid
„ ignorare, eo quod corpus non ſit extra
„ ignorantiam, aut humana vox cujus ipſe
„ caput eſt, is non abſurde loquitur, &c.
„ Illud autem quod de extremo judicii die di-
„ ctum, quod illum nemo novit, neque An-
„ geli, neque Filius, niſi ſolus Pater, id
„ quidem ob eam rationem dictum exiſtimant,
„ ut Diſcipuli arbitrati quotidie ultimum diem
„ imminere, ſemper vigilarent. Sed nihil
„ obſtat quominus & hoc figurate dictum in-
„ terpretemur; quemadmodum & illud, Tu
„ ſcis inſipientiam meam. Sunt qui cenſeant
„ illum dixiſſe quod ignoraret ultimum diem,
„ ut humanæ naturæ ſignum proprium, quod
„ illi ineſt, declararet & oſtenderet; non quod
„ ipſe ignoraret... Sed cum, ut B. Cyrillus
„ docet, ſubtili mentis conceptu, & animi
„ ima-

Digitized by Google

„ imaginibus per contemplationem, rem a re „ dividimus; tum videmus proprias naturæ „ cujuſque ut in ſe eſt, notas & proprietates. „ Aut (ut Gregorius Theologus tradit) quan- „ do naturæ ratione diſtinguuntur, etiam no- „ mina naturarum ſimul dividuntur. Sed nu- „ dæ, puræque humanitatis ſignum proprium „ eſt ignorantia; Hac ratione ergo Chriſti hu- „ manitati, ut ſimplici & puræ humanitatis „ naturæ conſideratæ præciſe ſecundum ea „ quæ a ſeipſa habet, adſcribi poterit igno- „ rantia. Et hoc eſt quod Theologus explica- „ vit, quando dixit: Scit quidem ut Deus, „ neſcit vero ut homo. *Quibus dictis addit* „ *quod*, ſi qui ex Patribus ignorantiam in „ Salvatore ex parte humanitatis admiſerunt; „ id tamen non ut dogma ſanxerunt: ſed Aria- „ norum inſaniam reprehenſuri, qui omnia, „ quæ in Chriſto erant humana, ad Unigeniti „ divinitatem tranſtulerunt, ut increatum Dei „ verbum creaturam oſtenderent. Rectius hæc „ de humanitate dici poſſe exiſtimarunt, quam „ humanam ab illis divinitatem trahi. Et ſi „ forte qui dixerit, etiam Patres figurate, „ ſeu anaphorice locutos eſſe, religioſius vi- „ debitur judicaſſe.

Ex quibus patet, facile exponi poſſe Patrum ſupra laudatorum ſenſa, qui inſcitiam Chriſto homini affingere viſi ſunt. Nempe non ex propria mente, nec abſoluto deſtinatoque judicio ipſos id feciſſe, ſed quadam veluti conceſſione, ut Arianorum impetus retunderent.

Hi namque Chriſti divinitatem alterius a Patre ſubſtantiæ profeſſi, defectus huic omnes adſcribebant, utpote quam animæ loco extitiſse Chriſto homini arbitrabantur. Hanc igitur injuriam a Divinitate avertere cupientes Sanctorum Patrum plurimi, eam derivare in humanam naturam ſtuduerunt; & ipſam inprimis inſcitiam; ſed id (ut dixi) quadam veluti conceſſione, & ſuperabundanti reſponſione, quaſi dicerent: Dato & non conceſso, quod ignorantia, & alii ejuſdem generis defectus a Chriſto ſegregari non poſſint, certe non eſt neceſse ad Divinitatem Chriſti illos referre, cum in humanam potius naturam refundi poſse videantur. Sic exponendi ſunt illi Patres, qui ignorantiam diei judicii ad humanam naturam referunt.

Reſpondeo tertio, Chriſtum neſcivisse diem judicii nobis, non ſibi; id eſt, licet abſolute ſciverit, neſcivit tamen illum ut nobis revelaret. Cum nempe Chriſtus ut homo a Patre omnia didiciſset, non tamen omnia quæ ſciebat loquendi poteſtatem habuit; ſed quædam revelare prohibitus eſt. Quod teſtatur ipſemet Joann. 12. *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus. Sed qui miſit Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar &c. Quæ ergo loquar, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquar*. Neſcit igitur diem & horam ſupremi judicii Chriſtus, ut homo eſt, quia neſcit eam ut Patris legatus & interpres. Id ita exponit Sanctus Cyrillus, lib. 9. de Trinitate: *Hanc*, in-

inquit, *neſcitæ diei profeſſionem, non ignorationis eſſe infirmitatem, ſed tacendi diſpenſationem*. Et ad finem libri: „ Non itaque ignorat
„ Filius, quod non ignorat Pater: neque quia
„ ſolus Pater ſcit, idcirco neſcit & Filius,
„ cum unitate naturæ Pater & Filius maneant.
„ Quod autem Filius neſciat, in quo omnes
„ theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt,
„ tacendi diſpenſatio ſit, ſicut ipſe Dominus te-
„ ſtatus eſt, cum quærentibus Apoſtolis de tem-
„ poribus reſpondit:Non eſt veſtrum ſcire tem-
„ pora,vel momenta,quæ Pater poſuit in ſua po-
„ teſtate. Cognitio negatur, neque ſolum nega-
„ tur, ſed & ſollicitudo cognitionis inhibe-
„ tur, cum ſcire hæc tempora non eſt eorum.
„ Ipſi certe nunc poſt reſurrectionem loquendi
„ tempus jam arbitrantes eſse, interrogant.
„ Atque illis Filius non jam ſe neſcire ait: ſed
„ quod ſcire non ſit eorum quæ Pater in pote-
„ ſtate ſua poſuerit, ne ad ſcientiam humanæ
„ cognitionis evaderet, & Filius interrogatus,
„ neſcire ſe dicens, nunc rurſum non neſcire
„ ſe reſpondeat, ſed eorum eſse neſcire. Pa-
„ trem vero tempora non in ſcientia ſua, ſed
„ in poteſtate poſuiſse. Nam cum dies & mo-
„ mentum intra temporum nomen ſit: non po-
„ teſt videri diem momentum reſtituendi in re-
„ gnum Iſrael, ipſe ille qui reſtituturus eum eſt
„ ignorare. Sed nos ad intelligentiam nativi-
„ tatis ſuæ, per exceptionem paternæ pote-
„ ſtatis erudiens, neque ſe neſcire reſpondit,
„ & facultatem ipſis ſcientiæ non conceſsam eſ-

„ ſe demonſtrans, idipſum in Sacramento pa-
„ ternæ poteſtatis conſiſtere eſt profeſsus.

Contra. Si Chriſtus ideo dicitur neſcivisſe diem judicii, quia non revelavit, ſequitur & Patrem neſcivisſe, quia pariter non revelavit. Atqui dici non poteſt quod Pater neſciverit diem judicii, quamvis illum non revelaverit: ergo nec propterea diceretur Filius neſcivisſe, quod non revelasſet arcanum illius myſterium hominibus.

Reſpondeo, nego conſecutionem majoris. Ratio diſcriminis eſt, quia non eſt officium Patris enuntiare aliquid hominibus, ac legatione fungi, cum ipſe ingenitus ſit, nec ab alio miſsus. Unde nulla fuit ratio cur aliqua exciperet, quæ neſcire diceretur. Immo ſolus ea noſse dicitur, quæ ſibi uni reſervavit (ut *Actor:1.* Chriſtus ipſe loquitur) *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. At Filius a Patre miſsus eſt in mundum, ut humanam indutus formam paternorum conſiliorum adminiſter eſset, atque arcanorum interpres. Unde Pater quædam ſibi ſervare potuit, quæ Chriſtus ut homo poteſtatem revelandi hominibus non haberet: & quæ propterea neſcire profiteretur.

Objicies quarto. Ille cujus non eſt regnum dare a Patre paratum, non eſt æqualis Patri: ſed regnum dare a Patre paratum, ſuum non eſse Filius profitetur: igitur Filius non eſt æqualis Patri.

Probatur minor, ex illis verbis Chriſti (Mat-

(Matth.20.) *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo.*

Reſpondeo, diſtinguo minorem: Filius profitetur non eſse ſuum regnum dare, id eſt, non eſse ſuæ æquitatis regnum dare propinquitatis jure, aut per meram gratiam indulgere, quod labore ac meritis comparandum eſt, concedo: id eſt, negat eſse ſuæ poteſtatis regnum dare, nego. Vel iterum deſtinguo: Non eſt ſuum dare, ut homo, concedo: ut Dei Filius, nego. Unde Sanctus Auguſt. lib.1. de Trinit. cap.12. *Non eſt humanæ poteſtatis hoc dare; ut intelligatur hoc dare, per quod & Deus æqualis eſt Patri.*

Objicies quinto. Qui eſt primogenitus omnis creaturæ, non eſt Deus, ſed Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ: ergo non eſt Deus.

Probatur minor ex teſtimonio Sancti Pauli in Epiſtola ad Coloſsenſes, cap.1. *Qui eſt Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Quæ verba divinam potius quam humanam ſpectare naturam, Apoſtoli ratio oſtendit: *Quoniam* (inquit) *in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis & in terra.* In eo enim ſunt omnia condita ut Verbum eſt, non ut homo eſt.

Reſpondeo, diſtinguo majorem: Si ſit ita primogenitus omnis creaturæ ut ſit e rerum creatarum numero, & ante creatas res omnes procreatus ſit, concedo; ſi ſit primogenitus omnis creaturæ, tum quia ab æterno ex Patre ge-

genitus, creaturarum cauſsa fuit: tum etiam quia filiorum adoptionem cum creaturis primus communicavit, nego. Hoc autem poſteriori dumtaxat ſenſu Chriſtus omnis creaturæ primogenitus nuncupatur. Sicut enim Primogenitus mortuorum non ideo dicitur, quod prius mortuis ceteris vita functus ſit, ſed quod cauſsa ſit reſurrectionis ex mortuis: *Ita Primogenitus creaturæ nominabitur, quod cauſſa ſit educendæ ex non extantibus, ad hoc ut extet, creatura* (inquit Sanctus Baſilius, lib.4. contra Eunomium.) Suffragatur Sanctus Cyrillus in Theſauro, Aſsertione 25. ubi Chriſtum aſserit Primogenitum vocari, quod primus Filii appellationem cum hominibus communicaverit, ejuſque cauſsa fuerit. *Quippe*, inquit, *Scriptura demonſtrare voluit, nos omnes in Filio, & per Filium ad eamdem vocatos eſſe formam, Dei Filios per gratiam effectos. Atque ipſe principium eſt datæ nobis gratiæ: & ex immenſa ſua benignitate ſimiles ſibi facit eos, qui per ipſum facti ſunt.*

Objicies ſexto. Qui ſunt unum concordia dumtaxat & conſenſione voluntatum, non ſunt unum eſſentia: ſed Pater & Filius ſunt unum dumtaxat concordia & conſenſione voluntatum; ergo non ſunt unum eſſentia; proindeque Pater & Filius non ſunt unus Deus.

Probatur minor ex verbis Chriſti (*Joannis* 17.) ubi pro Diſcipulis ſuis orat; *Ut ſint unum*, inquit, *ſicut & nos unum ſumus*. Et in verſu præcedenti: *Ut omnes*, inquit, *unum ſint*,

ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Ex quibus ſic colligo: Similem unitatem Chriſtus Diſcipulis adprecatur illi qua unus eſt cum Patre: atqui Chriſtus Diſcipulis ſolam unitatem concordiæ adprecatur. Sola itaque concordia Pater & Filius unum ſunt.

Reſpondeo, nego minorem. Ad ejus probationem diſtinguo minorem. Chriſtus adprecatur ſimilem unitatem quantum ad aliqua, concedo; quantum ad omnia, nego. Adprecatur enim illis unitatem quam homines conſequi poſſunt: at cum Chriſtus unum ſit cum Patre & eſſentia & concordia, ſolam concordiæ unitatem homines conſequi poſſunt. Igitur ſolam illis unitatem concordiæ adprecatur. Sicut cum ait: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: ad infinitam illos & divinam ſanctimoniam non adhortatur, ſed ad eam, ad quam homines aſpirare poſſunt, divinæ ſanctimoniæ imitationem. Ita hunc locum exponit S. Athanaſius Oratione 4. contra Arianos p. 266. „ Non igitur, *inquit*, ut nos eſſemus qualis „ ipſe, dictum eſt ab eo, Ut unum ſint, que- „ madmodum & nos ſumus: ſed ut quemad- „ modum ille, utpote Verbum in Patre ſuo „ eſt, ita quoque, & nos aliqua ſimilitudine „ & rudi formula, dum in eum reſpicimus ef- „ ficeremur unum, una inter nos & mutua „ concordia animi & ſpiritus unitate, nec diſ- „ ſentiamus ut Corinthii, ſed ita concordes

 „ ſimus,

„ ſimus, ut quinque illa millia in Actibus Apo-
„ ſtolorum, qui quaſi unus homo cenſeri pote-
„ rant. Ut enim filii, non autem ut ille Fi-
„ lius, & ut Dii, non autem ut ille ipſe Deus;
„ & miſericordes veluti Pater, non ut Pater:
„ ita unum ſitis, quemadmodum Pater & Fi-
„ lius; non quod futuri ſimus ita ut Pater
„ naturaliter eſt in Filio, aut Filius in Patre:
„ ſed pro noſtra natura, & quatenus fieri po-
„ teſt, ut inde formulam, ſimilitudinemque
„ mutuemur, diſcamuſque nos oportere, unum
„ eſſe, ea ratione quam in miſerendo paullo
„ ante didicimus.

Eam expoſitionem confirmat S. Athanaſius ex illis verbis: „ Ego gloriam quam de-
„ diſti mihi, dedi illis, ut ſint unum, que-
„ madmodum nos unum ſumus. *Quæ ſic de-*
„ *clarat*: Qui dicit, quemadmodum, ſimi-
„ litudinem & exemplum ejus, de quo loqui-
„ tur, ſignificat. Verbum igitur jure & eſſen-
„ tialiter identitatem naturæ cum Patre obti-
„ net. Nobis autem datum eſt ut imitemur;
„ nam ſtatim ſubintulit: Ego in illis, & tu in
„ me, ut abſolute in unum perficiantur. Quo
„ loco in poſterum majus quiddam, & perfe-
„ ctius a nobis Dominus poſtulavit. Certum
„ enim eſt Verbum in nobis eſſe factum quip-
„ pe quod noſtrum corpus induerit. Tu autem
„ in me, Pater, quoniam tuum ſum Verbum,
„ & quia tu in me eo quod tuum ſim Verbum.
„ Ego porro in illis per corpus meum; & quia

„ per

„ per te in me hominum ſalus perficitur; ro-
„ go te, ut & ipſi fiant unum ſecundum ratio-
„ nem mei corporis, & ſecundum ejus perfe-
„ ctionem, ut & ipſi perfecti reddantur, cum
„ habeant cum corpore meo unitatem, & in
„ eo unum fiant, & quaſi quos ipſe geſtem,
„ pariter unum corpus fiant, & unus ſpiritus.
Legatur & Oratio V. pag. 307. & 312. In eamdem expoſitionem conſpirat S. Cyrillus in *Theſauro*, *Aſſertione* 12. *pag.* 121.

Reſpondeo ſecundo, nego ſecundam minorem, quod ſcilicet eo in loco ſolam unitatem concordiæ Chriſtus Diſcipulis adprecetur. In Fidelibus enim arctior eſt unitas quam voluntatis ſolius, cum inter eos naturalis etiam unitas exiſtat aliqua; primo quia per naturam Fidei unum ſunt. Deinde, quia regenerati ſunt in unius vitæ atque æternitatis naturam. Tertio, quia naturalis unitas in nobis efficitur, eo ipſo quod vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus. Quibus tamen unitatis quadamtenus naturalis modis, longe diverſa eſt, longeque præſtantior Patris & Filii unitas utpote quæ in eſſentiæ identitate poſita ſit. Hæc reſponſio eſt S. Hilarii lib. 8. de Trinitate. *Si ergo*, inquit, *per fidem, id eſt, per unius fidei naturam unum omnes erant: quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum ſunt?* Et infra: *Sin vero regenerati in unius vitæ atque æternitatis naturam ſunt, per quod anima eorum & cor unum eſt: ceſſat in his aſſen-*

aſſenſus unitatis, qui unum ſunt in ejuſdem regeneratione naturæ. Et ibidem notat Dominum ita precatum non fuiſſe: *Pater, ſicut nos unum volumus, ita & illi unum velint, & unum per concordiam ſimus omnes*. Sed, *Ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus*, ut cum in nobis tum in Patre & Filio, naturalem unitatem oſtenderet, quamvis in Patre & Filio, quam in nobis, præſtantiorem.

Et infra: „ Eos nunc, *inquit*, qui inter „ Patrem & Filium voluntatis ingerunt unita- „ tem, interrogo, utrum-ne per naturæ ve- „ ritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per „ concordiam voluntatis? Si enim vere Ver- „ bum caro factum eſt, & nos vere Verbum „ carnem cibo Dominico ſumimus: quomodo „ non naturaliter manere in nobis exiſtimandus „ eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſe- „ parabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & na- „ turam carnis ſuæ ad naturam æternitatis, ſub „ Sacramento nobis communicandæ carnis ad- „ miſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia „ & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis „ eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in „ Chriſto negabit, neget prius naturaliter vel „ ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia „ in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis, unum „ in his eſſe nos faciant. Si vere igitur car- „ nem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & „ vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, „ Chriſtus eſt, noſque vere ſub myſterio car- „ nem corporis ſui ſumimus, & per hoc unum

eri-

„ erimus, quia Pater in eo eſt, & ille in no-
„ bis: quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum
„ naturalis per Sacramentum proprietas perfe-
„ ctæ Sacramentum ſit unitatis? ... Eſt ergo
„ in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo,
„ dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt.
„ Quam autem in eo, dum ſecum hoc quod
„ nos ſumus in Deo eſt. Quam autem in eo
„ per Sacramentum communicatæ carnis &
„ ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et
„ hic mundus jam me non videt, vos autem
„ me videbitis, quoniam ego vivo, & vos
„ vivetis, quoniam ego in Patre meo, & vos
„ in me, & ego in vobis. Si voluntatis tan-
„ tum unitatem intelligi vellet, cur gradum
„ quemdam atque ordinem conſummandæ uni-
„ tatis expoſuit: niſi ut cum ille in Patre per
„ naturam divinitatis eſſet, nos contra in eo
„ per corporalem ejus nativitatem, & ille rur-
„ ſum in nobis per Sacramentorum ineſſe My-
„ ſterium crederetur, ac ſi perfecta per Me-
„ diatorem unitas doceretur, cum nobis in ſe
„ manentibus ipſe maneret in Patre, & in Pa-
„ tre manens maneret in nobis, & ita ad uni-
„ tatem Patris proficeremus, cum qui in eo
„ naturaliter ſecundum nativitatem ineſt, nos
„ quoque in eo naturaliter ineſſemus, ipſo in
„ nobis naturaliter permanente? Quam autem
„ in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita te-
„ ſtatus eſt: Qui edit carnem meam & bibit
„ ſanguinem meum, in me manet, & ego in
„ eo, &c.

Ad-

Addit Sanctus Hilarius, diverſam, longeque excellentiorem unitatem eſſe Patris & Filii, quam ipſorum inter ſe hominum; „ Unitatem noſtram ad Deum, *inquit*, Dominus „ pro nobis precatus eſt, ſuam vero obtinet „ ille, & in ea manet. Nec per Sacramentum diſpenſationis unum ſunt, ſed per naturæ nativitatem, dum nihil in eo ex ſe Deus „ eum gignendo degenerat. Unum ſunt, dum „ quæ de manu ejus non rapiuntur, non rapiuntur de manu Patris: dum eo cognito, „ Pater cognitus eſt, dum eo viſo Pater viſus eſt, dum quæ loquitur, Pater in ſe manens loquitur, dum in operante ſe operatur „ Pater, dum ipſe in Patre eſt, & Pater in „ eo eſt. Hoc non præſtat creatura, ſed nativitas: non efficit voluntas, ſed poteſtas: „ non loquitur unanimitas, ſed natura. Quia „ non eſt unum creari & naſci, neque velle „ idipſum eſt quod & poſſe, neque concordare idem eſt quod manere.

Objicies ſeptimo. Trium priorum ſæculorum Patres Filium non eſſe verum Deum, & Patri conſubſtantialem atque coæternum propugnarunt, ſcilicet S. Juſtinus Martyr in *Dialogo cum Triphone*; S. Irenæus, Tatianus Juſtini Martyris diſcipulus in lib. contra Græcos, *ubi ita ſcribit*: „ Deus erat in principio: principium autem rationis eſſe potentiam accepimus. Etenim Dominus omnium, cum ipſe „ eſſet totius univerſi ſubſtantia, quatenus nulla adhuc erat facta creatura, ſolus extabat.

„ Qua-

„ Quatenus vero tota vis & potentia ac tam
„ eorum quæ videri nequeunt, ſubſtantia erat
„ ipſe, cum eo erant omnia. Nam cum ipſo
„ per rationalem vim λόγος, ipſe, qui in illo
„ erat, produxit. Voluntate porro ſimplici-
„ tatis ipſius λόγος erupit: qui quidem non in
„ vacuum emanans, primigenium opus Patris
„ fuit „. Filium igitur Patris voluntate, non natura productum, & primam dumtaxat creaturam eſſe exiſtimavit Tatianus.

Non abſimilis fuit Theophili Antiocheni ſententia, libr.2. *Ad Autolycum*, ubi de Deo ſic loquitur: *Verbum operum ſuorum adminiſtrum adhibuit, at per ipſum omnia molitus eſt.* Et cum ſcripſiſſet, Deum in Paradiſo inambulaſſe, quærit qua ratione Deus ambulare dicatur, qui nullo loco coerceri poteſt: & reſpondet: „ Deum ipſum ac Patrem univerſorum
„ comprehendi loco non poſſe, nec in eo de-
„ prehendi, ſed Verbum ipſius per quod om-
„ nia molitus eſt, quæ eſt virtus ipſius ac ſa-
„ pientia, perſonam in ſe Patris, & omnium
„ Domini ſuſcipiens, in Paradiſum venit ſub
„ perſona Dei, & cum Adamo collocutum eſt.
„ *Tum enarrat quomodo Verbum a Patre produ-*
„ *ctum ſit.* Antequam ulla res exiſteret, *in-*
„ *quit*, conſiliarium habebat iſtum, qui eſt
„ mens ipſius & ſapientia. Cum autem effice-
„ re voluit Deus quæcumque deliberaverat,
„ hunc λόγον genuit prolatitium, primogeni-
„ tum omnis creaturæ: non ut Verbo vacuus
„ ipſe fieret, ſed ut Verbum gigneret, & cum
„ Ver-

„ Verbo ſuo perpetuo verſaretur. *Et poſt-* „ *quam ſubjecit verba* 1. *cap. S. Joannis*: In „ principio erat Verbum, *&c. ſubjungit*: Ver- „ bum itaque cum ſit Deus, & ortum habeat „ ex Deo, quandocumque vult Pater univer- „ ſorum, mittit ipſum quemlibet ad locum: „ eoque veniens, auditur, ac videtur, ab „ illo miſſum, & in loco reperitur „. Porro qui loco comprehenditur, qui ſermo prolatitius eſt, qui mittitur a Patre quocumque ipſe vult, qui eſt operum Patris adminiſter, ille non eſt verus Deus conſubſtantialis & coæternus Patri: ergo Filium non eſſe verum Deum Patri conſubſtantialem & coæternum, Theophilus Antiochenus opinatus eſt.

Ejuſdem opinionis fuit Origenes in libris περὶ ἀρχῶν Tomo 2. in Joannem, aliiſque in locis. Et ne peculiaris ea fuiſſe Origenis videatur, Clemens Alexandrinus, qui in lib.7. *Stromatum* ſenſit: *Naturam Filii eſſe Omnipotenti propinquiſſimam*: atque etiam Filium *omnipotentis Patris voluntati ſervire*: & Dionyſius Alexand. in lib. *Contra Sabellium*, ubi Filium Dei *Opus quoddam* vocat, quod non *erat antequam fieret*, in eamdem aſſertionem conſpirarunt, ut communis ea fuiſſe totius Alexandrinæ Eccleſiæ ſententia videri poſſit; ita ut Arius nihil novi hac de re produxerit.

Sanctus Methodius Martyr apud Photium Cod.235. *eidem ſententiæ favet*. „ Duas vi- „ res, *inquit*, in iis quæ ante confeſſa ſunt, „ eſſe

Digitized by Google

„ eſſe diximus effectrices; unam quæ ex non „ extantibus nuda voluntate, ſine cunctatione, „ ſimul ac voluit, per ſeipſam molitur quidquid vult facere, eaque eſt Pater. Alteram, „ quæ componit, & varietate quadam exornat ad prioris imitationem quæ jam facta ſunt; „ & eſt Filius omnipotens, ac fortis manus „ Patris, in qua poſtquam fecit materiam ex „ non extantibus, exornat „. Si autem Pater & Filius ſint duæ virtutes (ut Methodius aſſerit) Pater & Filius non ſunt unus Deus.

Tertullianus lib. *Contra Praxeam*, cap.5. & 7. & lib. *Contra Hermogenem*, cap.3. & lib.2. *Contra Marcionem*, cap.27. ejuſdem aſſertor eſt dogmatis. Necnon & Novatianus lib. *De Trinitate*. Non conſtat igitur ex traditione, Filium eſſe conſubſtantialem Patri.

Reſpondeo, nego antecedens. Licet enim Patrum aliqui ante ortum Arianæ hæreſeos minus proprie & minus caute quædam interdum ſcripſerint, & quæ ſpecie tenus huic hæreſi patrocinari videntur, fidem tamen Sacroſanctæ Trinitatis & Divinitatis Filii Dei quoad ſubſtantiam & caput Catholici Dogmatis conſtantiſſime aſſeruerunt. Ratio autem cur minus accurate locuti ſint, ea eſt, quod ad Philoſophiæ Platonicæ decreta Chriſtianæ Fidei explicationem temperandam eſſe duxerint, atque ſimilia fere ſcripſerint iis quæ a Philoſophis iſtius Sectæ de Patre univerſorum, & de Mente ipſius, quæ & λόγος ab ipſis dicebatur, doceri conſueverant. Sic S. Athanaſius, lib. *De In-*

„ *car-*

carnatione Verbi, Filii Divinitatem perſuadere Gentibus ſtudet, argumentis ex Platonicorum doctrina depromptis, ut fidem noſtram nihil proponere incredibile luculentius oſtendat. *Nam ſi confitentur*, (inquit) *eſſe aliquem Dei λόγον & hunc ducem univerſitatis eſſe, atque in ipſo creaturam omnem a Patre fabricatam eſſe: hujus item providentia illuminari cuncta, vivificari, & eſſe, ipſumque in omnibus regnare; adeo ut ex providentiæ operibus, tam ipſe, quam per eum Pater agnoſcatur: Animadverte, obſecro, an non imprudentes contra ſemetipſos irriſionem illam contorqueant*.

De veteribus illis trium priorum ſæculorum Patribus S. Hieron. in *Apologia 2. contra Rufinum* ſic loquitur. *Non ſtatim illos hæreticos judicabo. Fieri enim poteſt ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel a librariis imperitis eorum paullatim ſcripta corrupta ſint. Vel certe antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam & minus caute locuti ſunt, & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare*.

Fatendum tamen eſt, hoc in dogmate, ſicut in aliis Fidei Catholicæ capitibus, factum eſſe, ut emergentibus hæreſibus, quæ illius puritatem infuſcare conatæ ſunt, multum ad ejus profeſſionem perſpicuitatis acceſſerit. Unde locum hic habet celebris illa S. Aug. ſententia, lib. 16. *de Civ. Dei* cap. 2. *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæretico-*

eorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi extitit occaſio.

Et lib. 2. *de dono perſeverantiæ*, cap.20. *Dicimus enim*, inquit, *ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret.*

Auctoritate S. Juſtini abutuntur Sociniani contendentes, ipſum exiſtimaſſe, Filium Dei non eſſe verum Deum, in omnibus coæqualem Patri. Calumniam vero ſuam fulciunt his verbis in Dialogo cum Tryphone. *Iſte qui a Patriarchis eſt conſpectus, Deus, & Angelus, & Dominus appellatur, ut vel ex his intelligatis ipſum univerſorum Parenti adminiſtraſſe.* Et paulo poſt Angelum, qui Moyſi dixit: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*: negat fuiſſe conditorem omnium Patrem, ſed Filium Patris adminiſtrum fuiſſe contendit: *Sed quem*, inquit, *vobis demonſtravimus Abraham, & Jocob viſum eſſe, qui conditoris univerſorum voluntati miniſtravit.* Et infra rurſus: *Igitur nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob, nec alius Mortalium quiſquam vidit Patrem, & ineffabilem Dominum omnium; ideoque ipſiuſmet Chriſti: ſed illum qui de ipſius voluntate Deus eſt ejus Filius, & Angelus, ex eo quod ipſius voluntatis adminiſter ſit.* Verum ex his colligi non poteſt, Sanctum Juſtinum il-

ſum

lum errorem docuiſſe, quem ei Heterodoxi affingunt. Cum enim Filium miniſtraſſe Patri aſſerit, nomine miniſterii abutitur, prout idem ſignificat ac cooperationem. Vult itaque S. Juſtinus creandi voluntatem Patri tanquam primo principio adſcribendam, & Filio per Patrem communicatam. Quam autem innoxius ſit hic loquendi modus, ex eo conſtat, quod ipſi Patres dum contra Arianos poſt Concilium Nicænum ſcripſerunt, eumdem paſſim uſurparunt. Id S. Hilarii exemplo oſtendere ſatis erit, qui Lib.4. de Trinit. expendens illud Geneſeos, *Et vidit Deus quia bona ſunt*. *Placere*, inquit, *Patri opera ſua gaudet Filius, per ſe ex præcepto ejus effecta*. Præmiſerat tamen: *In eo quod dicitur, faciamus, & juſſio exequatur, & factum*. Quaſi diceret ejuſdem eſſe virtutis, ac poteſtatis exequi creationem hominis, ac jubere. Nec etiam Patrem ſolum inviſibilem eſſe aſſeruit S. Juſtinus, ſed ipſum viſum non fuiſſe veteribus Patriarchis & Prophetis; viſum vero eſſe Filium, non in eſſentia quidem ſua, in qua æqualis eſt Patri, ſed in corpore ad tempus aſſumpto. Ex hujuſmodi porro apparitionibus probat Sanctus Juſtinus, Filium Dei quem in propria Perſona aſpectabilem hominibus factum eſſe ſenſit (uti & poſt ipſum ſenſere alii Patres Græci) non per Angelorum miniſterium; verum Deum eſſe Patri coæqualem, & coæternum. Toto enim Dialogo cum Tryphone paſſim demonſtrat, Filium Dei & *Deum* in Scripturis nominari, & *Dominum virtu-*

tutum & quæ iiſdem in ſacris Literis, maxime in Pſalmis, de ſummo omnium Domino, ac Deo dicuntur, ea Chriſto convenire probat. Hinc nihil luculentius ad Filii divinitatem & conſubſtantialitatem cum Patre adſtruendam iis locis S. Juſtini, quæ habentur in eodem Dialogo pag. 284., & in Apologiis.

Quod vero objicitur de S. Irenæo, ipſum Verbum ſubſtantiale & internum a Verbo vocali non diſtinxiſſe, adeoque Filium Dei eſſe Verbum prolatitium, putidiſſima calumnia eſt; ſiquidem Verbi prolatitii labem omnem, & imperfectionem a Verbo Divino diſerte excludit contra Valentinianos, ac Gnoſticos pugnans cap.46. 47. & 48. lib.2. ejuſdemque Verbi divinitatem ac conſubſtantialitatem cum æterno Patre aſſeruit, ut evincnnt teſtimonia in Probationibus laudata, aliaque, quæ hic recenſere longum eſſet.

Tatianus exponi benigne poteſt, ut qui Filium *Opus primigenium Patris* vocaverit, quatenus ſermo exterior eſt, ad effectum productus, cum dixit Deus, *fiat lux*, *fiat firmamentum* &c. non quatenus eſt ſermo interior ex Deo prodiens ad cogitatum. Sic enim Patri coæternus eſt. Voluntate porro Patris erupit λόγος priori modo ſpectatus: ſed ſub ſecunda illa ratione, non erupit voluntate, niſi concomitante, (quatenus non invitus Pater Filium genuit) ſed natura. Unde *Verbum a Patre genitum, ad imitationem illius, a quo genitus eſt, Patris immortalitatis imaginem homi-*

minem feciſſe : Necnon *Deum in hominis forma natum eſſe*, idem Auctor aſſerit.

Theophilus Antiochenus eodem ſenſu Filium *ſermonem prolatitium* appellat: miſſum autem & loco circumſcriptum ait, ſecundum formam extraneam, quam aſſumpſit; vel ad tempus, ut ſe hominibus aſpectabilem præberet ante Incarnationem, (ſecundum ſententiam Theophilo cum aliis Patribus Græcis communem) vel in perpetuum, cum homo factus eſt. *Patris* autem dicit *adminiſtrum*, non quod per ipſum velut per inſtrumentum condiderit univerſa, ſed quod una ſit Patris, Filiique poteſtas ac operatio. Unde in eodem libro ait: *Non erant Prophetæ cum Mundus crearetur; ſed ſapientia Dei quæ in ipſo eſt, Sermoque ejus Sanctus ſemper præſto erat: quapropter per Salomonem Prophetam ſic fatur: Cum ipſe præpararet Cælos, aderam*. Ibidem: *ut conſtaret Deum Sermone ſuo creaſſe Cælum & terram, ſcriptum eſt: In principio creavit Deus Cælum & terram*. Ibidem *Filium Dei* vocat *Sermonem perpetuo exiſtentem, & inſitum in corde Dei Patris. Antequam enim quidquam eorum, quæ facta ſunt, fieret, hunc conſiliarium habuit &c.*

Origenem in Luto erroris hærentem relinquimus.

In Clementis Alexandrini operibus nonnulla fortaſſe minus proprie dicta de Filio Dei reperiuntur, quod & nonnullis aliis Patribus, qui ante Arianam hæreſim floruerunt, commune fuiſse jam adnotavimus. Quoad vero ſubſtantiam

Ca-

Catholici de Filii divinitate dogmatis non erravit Clemens Alexand., & nihil aliud intellexit cum dixit, *Naturam Filii eſſe omnipotenti propinquiſſimam; & ipſum omnipotentis Patris voluntati ſervire*, ut habent ea loca quæ objiciunt, quam ipſum habere eamdem naturam cum Patre, & eamdem voluntatem, ab ipſo communicatam ineffabili generatione. Hunc etiam Patrem tamquam Catholicum de Filii Divinitate dogma aſſerentem adduximus in Probationibus, atque etiam plurima ejuſdem loca referri poſſent ex lib. 7. *Stromatum*, ex *Admonitione ad Gentes*, & ex lib. *Pædagogi*, in quibus omnibus Verbi divinitatem luculenter atteſtatur.

De Sancto Dionyſio Alexandrino nihil eſt quod loquamur, cum, ut in Probationibus adnotavimus, eum S. Athanaſius, plurimis ejuſdem teſtimoniis adhibitis, ab Adverſariorum calumniis vindicaverit.

Diximus, Tertullianum de Filio Dei recte omnino ſenſiſſe; atque eum ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, perfectionis, & divinitatis eſſe, arbitratum fuiſſe, probatur ex multis operum ipſius locis, & ita evidentibus, ut nullam calumniam pati poſſint. Hæc ſunt præcipue cap. 21. *Apologetici*, lib. 3. & 4. contra *Marcionem*, & lib. contra *Praxeam* capp. 2. 3. 8. 9. &c.

Methodius duas vires appellat Patrem & Filium, non ἰδιωδῶς, ſed ὑποστατικῶς: & ita improprie vocat duas perſonas, quamvis una ſit virtus & poteſtas Patris & Filii.

Sed alia in *Convivio decem Virginum* duriora habet Methodius, & quæ non ſatis ex Theologiæ norma dicta ſint, ut illud quod legitur *Oratione* 3. Chriſtum eſſe *Antiquiſſimum Æonum* & *primum Archangelorum*. Sed nihilominus ipſum qua Verbum eſt, verum, perfectumque Deum confitetur. De Adamo enim ait: *Verbum, quod eſt ante ſæcula, in illum venit, ſeque illi conjunxit. Decebat enim primogenitum Dei ac unigenitum germen (id eſt Sapientiam) primum formato, primoque ac primogenito hominum generi hominis admixtum, hominem fieri. Id enim Chriſtum eſſe hominem pura perfectaque Deitate plenum, & Deum qui in homine capiatur. Congruentiſſimum quippe erat antiquiſſimum Æonum, & primum Archangelorum cum hominibus verſaturum, in antiquiſſimo primoque hominum inhabitare; id eſt Adamo*. Filium igitur Dei *primum Archangelorum* vocavit Methodius, non quod ex ordine ſit Angelorum, ſolaque donorum ac miſſionis præſtantia ſit illis prior: ſed quod a Patre miſſus in Mundum ad ſalutem humanam conſummandam, *Angelus magni conſilii* merito fuerit a Prophetis nuncupatus.

Durius quoque dictum videri poſſet, quod eodem in opere habet *Oratione* 7. ubi Virgines a Chriſto, qui major ipſis eſt, habere teſtimonium ait, ſicut Filius teſtimonium habet a Patre, qui ipſo major eſt. Sed nihil hic aſſerit Methodius ab aliorum Patrum ſenſu & communi

ni Eccleſiæ fide alienum. Vel enim de Filio ſecundum naturam aſſumptam loquitur, vel Patrem Filio ſecundum Divinitatem ſpectato majorem eſſe vult auctoritate Principii, non ſubſtantia & natura: *Decebat*, inquit, *ut aliis omnibus ſecundum Patrem major, eo teſte uteretur, qui ſolus ipſo major eſſet, id eſt Patre. Et ego horum quæ in laudem caſtitatis peroratura ſum, non homines producam auctores, ſed eum cui curæ ſumus, & qui cunctis eminet, omnemque tulit partem, hunc illius cultorem aſſeram, ipſiuſque formæ amatorem, ac plane idoneum teſtem. Idque adeo etiam in Cantico Canticorum, omnibus qui velint, perſpicue intelligere licet, ubi Chriſtus ſit, in Virginitatis firmiter propoſito conſtantes, laudibus coronans, ait: Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum*. Lege Leonis Allatii hunc in Methodii locum Obſervationes.

Dici etiam poſſet cum Photio, ab Hæreticis violatum eſſe hoc Methodii Opus. *Obſervandum* (inquit ille in Bibliotheca Codice 237.) *Dialogum hunc, qui Sympoſium inſcribitur, ſive de caſtitate, magnam partem adulteratum eſſe: offendes enim in illo adjectas, & Arianas vanaſque opinationes, aliaſque male ſentientium fabulas*. Et *Codice* 162. refert Andream quemdam Incluſum ex Hæreticorum *Incorrupticolarum* ſecta, Sanctorum Patrum, in quibus & Methodium nominat, ſententias depravaſſe: quam propter temeritatem ab Euſebio Theſſaloni-

nicenſi Epiſcopo vapulavit. „ Patrum item le-
„ ctiſſimorum ſententiis, *inquit*, Athanaſii,
„ & trium Gregoriorum, admirandorum, in-
„ quam, illius patratoris, & Gregorii Theo-
„ logi, ac B. Nyſſeni Epiſcopi, Baſilii ſimi-
„ liter Cæſareæ Antiſtitis, & Joannis Chryſ.
„ Cyrilli Alexandriæ, Conſtantinopolitanæ ſe-
„ dis Præſulis Procli, S. ad hæc Martyris Me-
„ thodii, & Quadrati. Quorumdam enim ex
„ his dicta quædam Andreas avulſerat, ac
„ perverterat, ſimulque malitioſe, aut impe-
„ rite interpretando, errorem ſuum ex illis,
„ ut ſibi quidem perſuaſit, confirmarat. Ve-
„ rum ob hæc omnia juſtas Euſebio pœnas de-
„ dit, ob adulterationem, inquam, Sancto-
„ rum Patrum, & improbitatem atque inſci-
„ tiam: quodque Hæreticorum dicta quædam
„ compilans, ſanctis ea Patribus attribuere ſit
„ auſus, „ Sed cum Andreæ error Filii Divi-
nitatem non impugnaret, ſed paſſibilis dum-
taxat, atque corruptibilis corporis in Chriſto
ante reſurrectionem naturam; non eſt quod
Methodii Sympoſium in iis, quæ de Filio Dei
durius dicta videntur, ab Andrea illo interpo-
latum ſuſpicemur.

Objicies octavo auctoritatem Lactantii, .4. c.8. ubi hanc ſtatuit inter Angelos & Verbum differentiam: *Illi enim* (inquit) *ex Deo taciti Spiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille vero cum ſit & ipſe Spiritus, tamen*

cum

eum voce ac ſono ex ore Dei proceſſit, ſicut Verbum, ea ſcilicet ratione quia voce ejus ad populum fuerat uſurus; id eſt quod ille Magiſter futurus eſſet Doctrinæ Dei. Igitur Filius Dei ex ordine eſt Spirituum creatorum, Lactantio teſte, hocque ſolo ab Angelis differt, quod ex ore Dei proceſſerit ſicut Verbum, prolatitium ſane, ſiquidem cum voce & ſono. Et l.4.c.6. *Deus igitur*, inquit, *machinator, conſtitutorque rerum, antequam præclarum hoc opus Mundi adoriretur, ſanctum & incorruptibilem, & incomprehenſibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparunt. Et quamvis alios poſt innumerabiles per ipſum creaviſſet, quos Angelos dicimus; hunc tamen ſolum primogenitum divini nominis appellatione dignatus eſt, patria ſcilicet virtute, ac majeſtate pollentem.* Licet ergo Filius Dei ante Mundum & creaturas omnes genitus ſit, non tamen Patri coæternus eſt, neque natura, ſed dignatione Deus.

Et capite 29. „ (*inquit*) habet Filium,
„ quem unice diligit, qui tamen ſit in domo
„ & manu Patris, licet ei nomen Domini po-
„ teſtatemque concedat; civili tamen jure &
„ domus una, & unus Dominus nominatur:
„ ſic hic Mundus una Dei domus, & Filius &
„ Pater, qui unanimes incolunt Mundum,
„ Deus unus, quia & unus eſt tamquam duo,
„ & duo tamquam unus. Neque id mirum cum
„ Filius ſit in Patre, quia Pater diligit Filium,
„ & Pater in Filio, quia voluntati Patris fi-

„ deliter paret „. Sicut ergo in humanis filius non eſt unus dominus cum patre, niſi civili quadam & morali ratione: ita Filius Dei non eſt unus Deus cum Patre niſi moraliter, ob unitatem affectus, ob gratuitam dominii communicationem cum ipſo a Patre factam, ob mutuum amorem; & quia Filius voluntati Patris obſequitur. Non obſequeretur autem niſi minor eſſet.

Ad 1. Reſp. nego conſeq. Namque *ad miniſterium creatum* Dei Filium negat Lactantius, ſicut conditi ſunt Angeli; *Deum ex Deo genitum*, appellat: *Bis natum, primum in Spiritu, poſtea in carne* profitetur: *Nulli alii opera Dei eſſe nota, niſi Filio ſoli, qui eſt Verbum Dei, & quem regnare in perpetuum neceſſe eſt*, conteſtatur: idque ex illis verbis *Pſalmi* 44. demonſtrat: *Eructavit cor meum Verbum bonum: dico ego opera mea Regi*. Urget quoque illud S. Ioan. oraculum. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Ex quibus evincitur, Lactantium exiſtimaſſe Filium Dei verum Deum eſſe & Verbum Patri coæternum. Cum autem ait, ipſum proceſſiſſe ex ore Dei cum voce ac ſono, ſpectat ipſum qua Verbum externum eſt, & ad creaturarum molitionem exterius prolatum, non quatenus Verbum eſt interius, & ratio ac ſapientia Patris. *Merito igitur* (inquit)

quit) *ſermo & Verbum Dei dicitur; quia Deus procedentem de ore ſuo vocalem Spiritum, quem non utero, ſed mente conceperat, inexcogitabili quadam Majeſtatis ſuæ virtute ac potentia in effigiem, quæ proprio ſenſu ac ſapientia vigeat, deprehendit.* Sed quatenus Verbum internum eſt, Patri coæternum, & ejuſdem cum illo virtutis agnoſcit Lactantius: Noſtræ voces, ,, *inquit*, licet miſceantur, atque evaneſcant, ,, tamen plerumque permanent litteris com- ,, prehenſæ; quanto magis Dei vocem cre- ,, dendum eſt & manere in æternum, & ſenſu ,, ac virtute comitari, quam de Deo Patre, ,, tamquam rivus de fonte traduxerit. Quod ,, ſi quis miratur ex Deo Deum prolatione vo- ,, cis ac Spiritus potuiſse generari, ſi ſacras ,, voces Prophetarum cognoverit, deſinet ,, profecto mirari. *Et initio cap. 9. ait, Filium* ,, *Dei* melius a Græcis λόγον dici, quam a ,, nobis Verbum ſive ſermonem; λόγον enim ,, & ſermonem ſignificat, & rationem: quia ,, ille eſt vox & ſapientia Dei ,,. Poteſt itaque ſpectari duplici reſpectu Dei Filius, & ut vox eſt ac ſermo exterior: & ut ratio eſt; & Sapientia Dei, ſeu Verbum interius.

Ad ſecundum locum reſpondeo: Ibi verbum iſtud *dignatus eſt*, æque & ſtricte non ſumi, ſed improprie, prout communicationem ſignificat alicujus dignitatis, ſive fiat illa gratiæ nomine, ſive nativitatis jure. Certe Lactantius non ob aliam rationem Filium Dei hoc

nomine inſignitum fuiſſe aſſerit a Patre ; quam quod *paterna virtute ac majeſtate polleret* ; ſecum nempe vi generationis communicata. Unde ſtatim ſubjungit : *Eſſe autem ſummi Dei Filium, qui ſit poteſtate maxima præditus, non tantum congruentes in unum voces Prophetarum, ſed etiam Triſmegiſti prædicatio, & Sybillarum vaticinia demonſtrant, &c. Sibylla Erythræa in Carminis ſui principio, quod a ſummo Deo exorſa eſt, Filium Dei ducem & imperatorem omnium his verſibus prædicat, &c.* Et initio cap.7. *Fortaſſe* (inquit) *quærat aliquis hoc loco, quis ſit iſte tam potens, tam Deo carus, & quod nomen habeat ; cujus prima nativitas non modo anteceſſerit Mundum, verum etiam prudentia diſpoſuerit, virtute conſtruxerit? Primum ſcire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum eſſe, qui morantur in Cælo, ſed illi ſoli ac Deo Patri.* Qui autem Mundum prudentia diſpoſuit, virtute conſtruxit, æquo jure cum Patre rerum omnium creator eſt, adeoque verus Deus : & cujus nomen ipſi ſoli, ac Deo Patri notum eſt, ille a nulla creata mente poteſt comprehendi, quæ eſt veri Dei notio. Adde Lactantium ; cum loquitur de Filio, non dicere quod Pater ipſum fecerit, aut creaverit, ſed genuerit. Cum vero loquitur de Angelis, ait Patrem ipſos per Filium genuiſſe.

Ad tertium locum, nego conſequentiam : comparatio enim illa Lactantii ex humano jure & uſu

& uſu petita, non eſt accurata quoad omnia, ſed tantum quoad aliqua, & ſecundum analogiam dumtaxat vera eſt. Quia ſcilicet Filius Dei unus eſt Dominus cum Patre, ſicut Filius hominis alicujus unus eſt Dominus cum homine: licet non ſit eadem in Filio Dei, & in Filio iſtius hominis dominii ratio. Nam civili tantum jure filius homo cum Patre homine unus Dominus eſt; natura autem & indiviſa poteſtate ac virtute, Dei Filius unus Dominus eſt cum Patre. Id conſtat ex verbis Lactantii in eodem capite: ,, Cum dicimus, *inquit*, Deum ,, Patrem & Deum Filium, non diverſum di- ,, cimus, nec utrumque ſecernimus: quia nec ,, Pater ſine Filio eſſe poteſt, nec Filius a ,, Patre ſecerni: ſiquidem nec Pater ſine Filio ,, nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre ge- ,, nerari. Cum igitur & Pater Filium faciat, ,, & Filius Patrem, una utrique mens, unus ,, Spiritus, una ſubſtantia eſt: ſed ille quaſi ,, exuberans fons eſt, hic tamquam defluens ,, ex eo rivus: ille tamquam ſol, hic quaſi ,, radius a ſole porrectus, qui quoniam ſummo ,, Patri fidelis & charus eſt, non ſeparatur, ,, ſicut nec rivus a fonte, nec radius a ſole, ,, quia & aqua fontis in rivo eſt, & ſolis lu- ,, men in radio: æque neque vox ab ore ſe- ,, jungi, nec virtus aut manus a corpore di- ,, velli poteſt. Cum igitur a Prophetis idem ,, manus Dei, & virtus, & ſermo dicatur, ,, neque ulla diſcretio eſt: quia & lingua ſer-

 ,, mo-

„ monis miniſtra eſt, & manus, in qua eſt
„ virtus, individuæ ſunt corporis portiones.
„ *Et poſt verba in argumento laudata, conti-*
„ *nuo ſubjungit*: Denique unum Deum eſſe
„ tam Patrem, quam Filium, Iſaias in illo
„ exemplo, quod ſuperius poſuimus, oſten-
„ dit, cum diceret: Adorabunt te, & te de-
„ precabuntur, quoniam in te Deus eſt, &
„ non alius Deus præter te. Sed & alio loco
„ ſimiliter ait: Sic dicit Deus Rex Iſrael, &
„ qui eruit eum Deus æternus: Ego primus,
„ & ego noviſſimus, & præter me non eſt
„ Deus. Cum duas perſonas propoſuiſſet Dei
„ Regis, id eſt Chriſti, & Dei Patris, qui
„ eum poſt paſſionem ab inferis excitavit,
„ ſicut oſtendiſſe diximus Oſeam Prophetam,
„ qui ait: Et de manu inferorum eruam eum:
„ tamen ad utramque perſonam referens, in-
„ tulit; Et præter me non eſt Deus: cum
„ poſſet dicere præter nos: ſed fas non erat
„ plurali numero ſeparationem tantæ neceſſi-
„ tudinis fieri. Unus eſt enim ſolus liber, Deus
„ ſummus, carens origine, quia ipſe eſt ori-
„ go rerum; & in eo ſimul Filius & omnia
„ continentur. Quapropter cum mens & vo-
„ luntas alterius in altero ſit, vel potius una
„ in utroque, merito unus Deus uterque ap-
„ pellatur; quia quidquid eſt in Patre, ad
„ Filium transfluit, & quidquid in Filio, a Pa-
„ tre deſcendit.

Objicies, *Lactantium*, libri 4. *Divinarum*
In-

Inſtitutionum, cap. 14. ipſius Chriſti teſtimonio probare, unum Deum eſſe colendum, quod numquam ſe Deum eſſe dixerit. *Nec umquam ſe Deum eſſe dixit: quia non ſervaſſet fidem, ſi miſſus ut Deos tolleret, & unum aſſereret, induceret alium præter unum.*

Reſpondetur, Chriſtum ex *Lactantii* mente, non ſe dixiſſe Deum a Patre diverſum: id enim ſi præſtitiſſet, Deos Gentium non ſuſtuliſſet pro munere miſſionis ſuæ; nam alium Deum præter unum induxiſſet, ſeque ab eo ſeparaſſet. Sed ubi Chriſtus ſe Deum dixit, ſe unum cum Patre Deum, ipſique coæternum nuncupavit; & ea ratione nonniſi Deos Gentium excluſit.' Eam eſſe *Lactantii* ſententiam, ex locis ſupra citatis, & ex doctrinæ illius ſerie perſpicuum & exploratum eſt.

Ideo in capitibus ſequentibus pro Chriſti Divinitate manifeſte pugnat, & eas quæ ex paſſione peterentur objectiones ſolvit, ac refellit. Immo cap. 16. aſſerit eum qui *ipſe virtus, & ipſe juſtitia eſt, deſcendiſſe ut eam doceret, hominemque formaret*. Cap. 17. aſſerit illum eſſe æternum, & miſſum fuiſſe, *Ut denuo per eum qui eſſet æternus, legem ſciret æternam.* cap. 18. *ait*: *Cum igitur ea quæ Deus fieri voluit, quæque per Prophetas ſuos multis ſæculis ante prædixit, Chriſtus impleret, ob ea incitati, & Divinas Litteras neſcientes, coierunt ut Deum ſuum condemnarent.* Et infra: *Quid de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus*

a cultoribus Dei ſuſpenſus eſt, atque ſuffixus? Cap.23. tradit Deum ſolum eſſe poſſe hominis Doctorem. Cap.24. ait, Chriſtum, ſi Dei majeſtatem oſtentaſſet, mortales oculos claritatem majeſtatis ejus conſpicere, ac ſubſtinere non potuiſſe. Capite denique 25. docet Chriſtum fuiſſe Deum & hominem, inter Deum & homines medium conſtitutum, ut hominem producere ad Deum poſſet: quia ſi Deus tantum fuiſſet, exempla virtutis homini præbere non poſſet; ſi homo tantum, non poſſet homines ad juſtitiam cogere. *Idcirco Mediator advenit, id eſt, Deus in carne, ut caro eum ſequi poſſet, & ut eriperet morti hominem, cujus eſt dominatio in carne.*

Dices Lactantius, *libro 4. Inſtitutionum, capite 3.* ait, *Factum eſſe Dei Filium per Spiritum*. Itaque ſenſit Filium Dei creaturam eſſe.

Reſpondeo, Lactantium loqui de temporali, non æterna Chriſti nativitate, ut locum inſpicienti facile conſtabit. Cum autem Dei Verbum ſola Spiritus ſancti opera ſine virili congreſſu ex Virgine Maria caro factum ſit; rectiſſime ſcripſit Lactantius, eum per Spiritum factum eſſe, ut hominem, Dei Filium. Quod ipſum Angeli verba apud S. Lucam perſpicue probant: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.... Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Dices Lactantium, *lib.4. cap.29.* unitatem

tem Patris & Filii per mutuum conſenſum, & amoris concordiam explicare, ut inde manifeſtiſſime appareat unitatem eſſentialem non eſſe intelligendam.

Reſpondeo; Unitatem eſſentiæ in Patre & Filio ibidem adſtruere Lactantium his verbis:„ Cum dicimus Deum Patrem, & Deum „ Filium, non diverſum dicimus, nec utrum„ que ſecernimus; ſed ſeparamus; ſiquidem „ nec Pater ſine Flio poteſt eſſe, nec Filius a „ Patre ſecerni; cum nec Pater ſine Filio po„ teſt nuncupari, nec Filius ſine Patre gene„ rari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & „ Filius faciat Patrem, una utrique mens, „ unus Spiritus, una ſubſtantia eſt. Sed ille „ quaſi exuberans fons eſt, hic tamquam de„ fluens ex eo rivus.

Objicies, *Lactantium*, lib.11. capit.8. Verbum Patri coæternum negare, *De Matre*, inquit, *natus eſt, qui ante eam fuit, de Patre, qui aliquando non fuit: Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut inventum putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare.*

Reſpondetur, hæc verba ab aliquo Ariano inſerta, ab octo Vaticanis Codicibus mſs. aliiſque plurimis, & antiquioribus, & melioris notæ abeſſe: in Editionibus ad illos Codices collatis non haberi: ſibi ipſi non attendiſſe interpolatorem, cum priora verba deſtruant, quod ipſe ſequentibus adſtruere voluit. Filium quip-

quippe coæternum & æqualem eſſe Patri profitetur. *Sicuti Mater*, inquit, *ſine exemplo genuit Auctorem ſuum*; *ſic ineffabiliter Pater genuiſſe credendus eſt coæternum Deum*. Sed & quæ ſequuntur in ſinceris *Lactantii* Codicibus mſs. & in editis, Arianum illud aſſumentum penitus diſcerpunt. *Cum eſſet Deus ad excogitandum prudentiſſimus, ad faciendum ſolertiſſimus, antequam ordiretur hoc opus Mundi*, (hoc eſt, phraſi Scripturis uſitatiſſima, ab æterno) *quoniam pleni & conſummati boni fons in ipſo erat, ſicut & ſemper; ut ab eo bono tamquam rivus oriretur, longeque proflueret, produxit ſimilem ſui Spiritum, qui eſſet virtutibus Dei Patris præditus. Quomodo autem id fecerit in quarto libro docere conabimur.* Pater Lactantio boni fons eſt, Filius rivus ab eo producens: Rivus autem cum fonte ejuſdem plane naturæ atque ſubſtantiæ eſt; ac proinde æterni fontis rivus æternus. Præterea, ſimilis eſt Patri Spiritus, virtutibus Dei Patris præditus, id eſt, attributis omnipotentiæ, omniſcentiæ, ceteriſque Deo propriis perfectionibus.

Denique Lactantius Arianos nominatim in Hæreticorum ordinem redigit, lib.4. c.ult. *Cum enim*, inquit, *Phryges*, *aut Novatiani*, *aut Valentiniani*, *aut Marcionitæ*, *aut Ariani nominantur*, *Chriſtiani eſſe deſierunt*, *qui Chriſti nomine amiſſo*, *humana & externa vocabula induerunt*.

Scio

Scio Petavium ſentire hanc vocem, *Ariani*, perperam in contextum irrepſiſſe, immo in editionibus Thomaſii & Iſæi minime reperiri. Sed Petavio Baronium Cardinalem opponimus, aſſerentem vocem illam in novem Lactantii Operum mſs. exemplaribus in Vaticana Bibliotheca conſervatis extare.

Dices, Arianos poſt Lactantii ætatem exortos, adeoque Lactantium ipſos nominatim non perſtrinxiſſe. Id vero inficior: Lactantius enim libros Divinarum Inſtitutionum conſcripſit graſſante Licinii perſecutione, an. Chriſti 316. (ut obſervat Cardinalis Baronius) idque patet ex Operis Præfatione, in qua Conſtantinum Magnum his verbis alloquitur: *Pro quo facto*, (ſcilicet ob pacem Eccleſiæ redditam) *dabit tibi Deus felicitatem . . . Nam malis qui adhuc adverſus juſtos in aliis terrarum partibus ſæviunt &c.* (Hoc eſt in Oriente ſub Licinio.) Licinius autem eam ob cauſsam an.317. a Conſtantino bello petitus, proximo victus & Imperio exutus eſt. Arius vero (ex Oroſio lib.7. cap.28.) manifeſte innotuit anno 315. quo tempore a Concilio Alexandrino ut hæreticus damnatus eſt. Jam igitur orta erat Ariana Hæreſis cum Lactantius libros Divinarum Inſtitutionum conſcripſit.

Objicitur ultimo auctoritas Arnobii, qui Lactantium præceſſit, ejuſque præceptor fuit. Hic paſſim Deum ingenitum credi debere aſſerit, & non habere Patrem, Matrem &c. (lib.1. & lib.2.) Re-

Reſpondeo, Arnobium his in locis ſolam excludere a Deo generationem, quam Gentiles Diis ſuis tribuebant, quos ex maris & feminæ commixtione in tempore eſse genitos profitebantur. Sic lib. 1. „ Deus omnipotens ne„ que genitus ſcitur, neque novam in lucem „ aliquando prolatus, nec ex aliquo tempore „ cœpiſse .... At vero Juppiter, ut vos fer„ tis, & patrem habet, & matrem, avos, „ avias, fratres, nunc nuper in utero matris „ ſuæ formatus, abſolutus menſibus & con„ ſummatus decem. Ergo ſi hæc ita ſunt, „ Juppiter eſse Deus qui poteſt „? Et lib. 7. ſic Gentiles alloquitur: „ Vos Deos profitemi„ ni eſse natos, & ex maſculorum femina„ rumque ſeminibus conventionum progenitos „ lege .... At vero nos contra ingenitos eſse „ cenſemus. Hoc enim religioſum eſt crede„ re. Vos habere ſexus Deos... Nos diſcre„ tos eſse ſexibus abnegamus &c. „ Sed mirum eſt quod Arnobii auctoritate Sociniani abutantur, qui tam luculenter Chriſtum verum eſſe Deum aſserit. Cum enim Chriſtianos Deum Principem, ſummitatem omnium ſummorum obtinentem adorare ſcripſiſset lib. 1. Gentilem introducit ita opponentem: Non idcirco Dii vobis infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis Deum, ſed quod hominem natum, & crucis infami ſupplicio interemptum, Deum fuiſse contenditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis. Nihil porro horum negat Arnobius,

ſed

ſed ſic retorquet argumentum in Gentiles.
„ Natum autem recolimus. Quid enim? Vos
„ hominem nullum colitis.... Si vos Libe-
„ rum, quod uſum repererit vini, ſi quod
„ panis, Cererem.... honoribus quantis affi-
„ ciendus eſt nobis qui ab erroribus nos magnis
„ inſinuata veritate traduxit?... Chriſtus non
„ habeatur a nobis Deus? Nec qui omnium
„ alioquin vel maximus poteſt excogitari, di-
„ vinitatis afficiatur cultu? Sed patibulo af-
„ fixus interiit. Quid iſtud ad cauſsam?
„ Nonne Liberum & vos Patrem membra-
„ tim a Titanibus diſſipatum fanorum conſe-
„ crationi aptatis? Nonne Æſculapium poſt
„ pœnas & ſupplicia fulminis? Nonne Her-
„ culem concrematum, & Romulum Senato-
„ rum manibus dilaceratum in ædibus adoratis
„ ampliſſimis?

Et infra, Paganis objicientibus *Natum hominem colitis*, o Chriſtiani, reſpondet: „ Etiamſi
„ eſset id verum (id eſt ſi verum eſſet Chri-
„ ſtum eſſe merum hominem, quod plane diffi-
„ teor) tamen pro multis & tamen liberalibus
„ donis, quæ ab eo profecta in nobis ſunt, Deus
„ dici appellarique deberet. Cum vero Deus
„ ſit, re certa & ſine ullius dubitationis ambi-
„ guo inficiaturos arbitramini nos eſſe, quam
„ maxime illum a nobis coli, & præſidem
„ noſtri corporis nuncupari?

Et infra: „ Ergone, inquiet aliquis fu-
„ rens, iratus, & percitus, Deus ille eſt Chri-
„ ſtus?

„ ſtus ? Deus reſpondebimus & interiorum po-
„ tentiarum Deus.

Et infra Chriſtum eſſe Deum probat ex miraculis. „ Nulla major eſt, *inquit*, com-
„ probatio geſtarum ab eo rerum, quam vir-
„ tutum novitas. Has Chriſtus ſine ullis ad-
„ miniculis rerum, ſine ullius ritus obſervatio-
„ ne, vel lege nominis ſui poſſibilitate fecit.

Gentiles objiciebant. Si Deus fuit Chriſtus, cur in forma hominis viſus eſt? cur morte Crucis interemptus? quibus Arnobius reſpondet: „ An aliter potuit inviſibilis illa vis,
„ & habens nullam ſubſtantiam corporalem,
„ inferre ſe & commodare Mundo, conciliis
„ intereſſe hominum, quam ut aliquod tegmen
„ materiæ ſolidioris aſſumeret, quod oculo-
„ rum ſuſciperet injectum?... Mors illa quam
„ dicitis aſſumpti hominis fuit. Ipſius geſta-
„ minis, non geſtantis... Non enim ipſe in-
„ teremptus eſt. Neque enim cadere divinas
„ in res poteſt mortis occaſus, nec interitio-
„ nis diſſolutione dilabi, id quod eſt unum &
„ ſimplex, nec ullarum partium congregatio-
„ ne compactum.

Et rurſus lib. I. „ Nihil magicum, nihil
„ præſtigioſum in Chriſto. Derideatis licet ex
„ more, atque in laſciviam diſſolvamini ca-
„ chinnorum, Deus ille ſublimis fuit, Deus
„ ab intima radice, Deus ab incognitis regnis,
„ & ab omnium Principe Deus Soſpitator miſ-
„ ſus eſt.

Non

Non favet igitur Socinianis Arnobius hac in cauſſa. Sed etſi faveret, non magnum ex hujus Auctoris teſtimonio commodum contra Eccleſiam reportarent: ſiquidem hos libros nondum Catechumenus ſcripſit, & in iis ſummam Eccleſiaſticorum Dogmatum imperitiam teſtatur. Quod patet ex abſurdiſſimis ipſius de Anima, & de alterius vitæ ſuppliciis, erroribus: quos licet propugnent Sociniani, illos tamen vel ab uno Doctorum Eccleſiaſticorum aſſertos, vel Scripturæ Sacræ non repugnantes, probare nec poſſunt, nec ſaltem conantur, quia conatus inanes ſuos fore pervident. *Quid?* (*inquit Arnobius, lib.2.*) „ Plato idem veſter „ in eo volumine, quod de Animæ immortalitate compoſuit, non Acherontem, non „ Stygem, non Cocytem fluvios, & Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas „ aſſeverat volvi, mergi, exuri? Et homo „ prudentiæ non parvæ, & examinis judiciique perpenſi, rem inenodabilem ſuſcipit, „ ut cum animas dicat immortales, perpetuas, & corporali ſoliditate privatas, puniri eas dicat tamen & doloris afficiat ſenſu? „ Quis autem hominum non videt, quod ſit „ immortale, quod ſimplex, nullum poſſe „ dolorem admittere? Quod autem ſentiat „ dolorem, immortalitatem habere non poſſe? Nec tamen ejus auctoritas plurimum a „ veritate declinat. Quamvis enim vir lenis, „ & benevolæ voluntatis inhumanum eſſe cre-

„ di-

„ diderit, capitali animas ſententia condem-
„ nare, non eſt tamen abſone ſuſpicatus, jaci
„ eas in flumina torrentia flammarum globis,
„ & cænoſis voraginibus tetra. Jaciuntur enim
„ & ad nihilum redactæ interitionis perpetuæ
„ fruſtratione vaneſcunt. Sunt enim mediæ
„ qualitatis, ſicut Chriſto auctore compertum
„ eſt, & interire quæ poſſint, Deum ſi igno-
„ raverint, vitæ & ab exitio liberari, ſi ad
„ ejus ſe minas atque indulgentias applicarint.
„ Et ut quod ignotum eſt pateat, hæc eſt ho-
„ minis mors vera, hæc nihil reſiduum fa-
„ ciens. Nam illa quæ ſub oculis cernitur, ani-
„ marum eſt a corporibus dijugatio, non finis
„ abolitionis extremus. Hæc, inquam, eſt
„ hominis mors vera, cum animæ neſcientes
„ Deum per longiſſimi temporis cruciatum
„ conſumentur igni fero.

Et infra: „ Quid quod eadem ratio non
„ tantum incorporeas indicat eas non eſſe,
„ verum etiam privat immortalitate has omni,
„ & ad fines applicat, quibus vita conſueta eſt
„ terminari? &c.

Nec ſolum immortales eſſe animas homi-
num Arnobius negat, ſed etiam a Deo condi-
tas. „ Si enim forte neſcitis, *inquit*, & an-
„ tea vobis incognitum propter rei novitatem
„ fuit, accipite ſero, & diſcite ab eo qui no-
„ vit, & protulit in medium Chriſto, non
„ eſſe animas Regis maximi filias, nec ab eo,
„ quemadmodum dicitur, generatas cœpiſſe
„ ſe

„ ſe noſse, atque in ſui nominis eſsentia prædicari, ſed alterum quempiam Genitorem his eſse, dignitatis & potentiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore dijunctum: ejus tamen ex aula, & eminentium nobilem ſublimitate natalium.

Addit infra ſe neſcire a quo Animæ conditæ ſint, ſuamque ignorantiam inepta prorſus ratione tuetur. „ Sed ſi parens etiam genitor animarum, *inquitis*, Deus non eſt, quo auctore progenitæ, & qua ſunt ratione prolatæ? Confitemur nos iſtud ignorare... Sed quas Dei negamus, cujus ſint debemus oſtendere? Nihil iſtud neceſsario ſequitur. Non enim ſi negemus muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis eſse opus Regis; ſequaciter poſtulandum a nobis eſt, ut quis ea fecerit inſtitueritque dicamus. Poſsumus enim nulla cum reprehenſione neſcire qui & illis originem dederit, & obtinere non eſse a Deo ſuperiore prolata tam ſupervacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimmo aliquando & noxia... Conſimiliter hic quoque cum animas renuamus Dei eſse Principis prolem, non continuo ſequitur, ut explicare debeamus quonam parente ſint editæ, & cauſſis cujuſmodi procreatæ „. Oſtendit idem Auctor ſe hominis lapſum, humanæque naturæ per peccatum corruptionem ignoraſse, cum hos libros ſcripſit: ſiquidem

dem non eſse auctorem animarum Deum hac unica ratione probat, quod nihil a rerum Principe fieri poſſit, niſi quod ſit plenum & integrum, & in ſuæ integritatis perfectione finitum. „ Porro, *inquit*, conſpicimus homines, „ id eſt animas ipſas (quid enim ſunt homines „ niſi animæ corporibus illigatæ?) ſcævitate „ innumerabili vitiorum ipſos ſe indicare non „ eſse patritii generis, ſed ex mediocribus fa„ miliis procreatos „. Sicut ergo hæc errorum monſtra non ex Doctrina Eccleſiæ, immo nec ex rectæ Philoſophiæ Scholis Arnobius hauſit: ſed in eorum aſsertione & Scripturæ Sacræ repugnat, & rationi, ſeque divinarum litterarum penitus ignarum probat: ita ſi Deum non eſse dixiſset, qui genitus ſit, & Patrem habeat, eo ſenſu quo Sociniani contendunt, non ſequeretur hanc fuiſse Chriſtianorum fidem. Unde merito diceremus, Socinianos Arnobium quoad illud dogma ſequentes, Chriſtianos non eſse: ſicut ipſum ſequendo in horrendis illis, quos modo expoſuimus, de animæ origine & natura, erroribus non ſolum a Chriſtiana Religione penitus alienos ſe probant; ſed etiam a vera Philoſophia & a recta ratione, qua maxime gloriantur, atque Philoſophis Ethnicis, qui aliam ſibi ſapientiæ laudem pepererunt, multis gradibus inferiores.

FINIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE HÆRESI MACEDONIANORUM.

Quæstio Unica.

Utrum Spiritus Sanctus ſit verus Deus ejuſdemque cum Patre, & Filio majeſtatis, & dignitatis.

PROPOSITIO.

Macedonianos Spiritus Sancti hoſtes Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum teſtimonia profligant, ejus divinitatem, & eamdem cum Patre, & Filio dignitatem atque majeſtatem aſſerentia.

Probatur prima pars ex verbis S. Petri Actuum 5. ubi Ananiam ſic alloquitur. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudari de pretio Agri?* Mox cui mentitus ſit declarat. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Quibus ex verbis colligitur Spiritum Sanctum verum Deum eſſe. Hunc locum urgent S. Baſilius

[library stamp]

lib. 5. *contra Eunomium* p. 124. & lib. *de Spiritu Sancto*, cap. 16. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 37. S. Cyrillus in Theſauro Aſſertione 34. Theodoretus, lib. 5. *contra Hæreſes* cap. *de Spiritu Sancto*, S. Ambroſius lib. 1. *de Spiritu Sancto* cap. 4. & lib. 3. cap. 10. S. Epiphanius *Hæreſi* 74. S Auguſtinus lib. 3. *contra Maximinum*, *cap.* 21. *& alii*.

Idem probant loca illa Scripturæ Sacræ, in quibus cum Spiritus Sanctus locutus eſſe referatur, Deus locutus eſſe dicitur. Ita quod Iſaiæ 6. *Dominus Deus exercituum* locutus eſſe dicitur, *Audite audientes, & nolite intelligere*, &c. Apoſtolus ad Hebræos 3. *a Spiritu Sancto pronunciatum eſſe* dicit. *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens. Vade ad populum iſtum, & dic ad eos. Aure audietis, & non intelligetis &c.* Ergo idem eſt Dominus exercituum, ac Spiritus Sanctus. Hoc argumentum urgent S. Gregorius Nyſſenus, lib. 1. *contra Eunomium*, & S. Baſilius, *lib.* 4. contra eumdem, S. Cyrillus *in Excerptis de Spiritu Sancto*, Proclus *Oratione* 37. Paſchaſius lib. 1. *de Spiritu Sancto*, & alii.

Idem probatur ex Apoſtolo 1. *ad Corinthios* 3. ubi fideles templum Dei vocat. *Neſcitis*, inquit, *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & ſubinde eoſdem Spiritus Sancti templum eſſe aſſerit; *An neſcitis*, inquit, *quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Ex quibus Spiritum

tum Sanctum Deum nominari, & eſſe colligit S. Athanaſius, Lib. ad Serapionem de Spiritu Sancto. = Si Spiritus creatura eſſet, „ non efficeretur per eum conſociatio Dei „ in nobis, ſed creaturæ conjungeremur, „ alienique a divina natura redderemur, ut „ nuſquam ejus participes facti. Nunc ubicumque dicimur participes Chriſti, Dei „ etiam participes dicimur. Conſtat igitur „ unguentum quo imbuti ſumus, & ſigillum „ quo ſignati ſumus, non eſſe naturæ rerum „ conditarum, ſed Filii, ob Spiritum qui in „ eo eſt, qui nos coaptat Patri. Id enim „ Joannes docuit. In hoc cognoſcimus quod „ in Deo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Si autem „ ex præſentia Spiritus qui nobiſcum eſt, efficimur conſortes divinæ naturæ, inſanierit „ profecto, ſi quis hoc dicat fieri per ſpiritum creatum, & non per Spiritum Dei. „ Ob eam enim cauſſam in hominibus eſt, „ & ii in quibus eſt, deificantur. Quod ſi „ ille deificet, ambiguum eſſe non poteſt, „ quin hujus natura Dei ſit natura.

Idem probatur ex eo quod Apoſtolus 1. *Corint.* 12. divina Spiritus Sancti opera, beneficiaque percenſens, ea promiſcue Deo, ac Spiritui ſancto velut auctori tribuit; *Diviſiones* (inquit) *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, &c. & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Quibus ſingillatim enumeratis, ita con-

cludit. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Quem locum ad Spiritus ſancti Divinitatem comprobandam urgent S. Athanaſius, *in lib. ad Serapionem*, Cyrillus *in Theſauro aſſertione* 13. & 14. Theodoretus, *lib.* 5 *Contra hæreſes*, & alii.

Idem probant illa verba Chriſti, (Joannis 15.) *Cum autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*. Quo ex loco Sanctus Ambroſius Spiritum Sanctum creaturam non eſſe probat, *lib.* 1. *de Spiritu ſancto, cap.* 7. *Sicut*, inquit, *creata dici non poteſt Sapientia, quæ ex ore Dei procedit: nec Verbum quod eructatus ex corde: nec virtus in qua plenitudo majeſtatis æternæ eſt: ita etiam creatus non poteſt Spiritus æſtimari, qui ex ore Dei funditur, cum ipſe Deus tantam oſtenderit unitatem, ut effundere ſe de Spiritu ſuo dicat*. Hinc Paſchaſius *lib.* 1. *de Spiritu ſancto, cap.* 12. notat Chriſtum non dixiſſe, *Qui a Patre creatus eſt; ſed a Patre procedit, id eſt, de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ*. Et paullo poſt ſubjungit, *Quia ergo Spiritus ſanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia deitatis oſtendit; id eſt, ut in perſona ſua ſubſiſtere, & ſine ullo temporis ſpatio permanere, & omnino ex ſubſtantia Patris probetur exiſtere*. Idem argumentum urgent Didymus, *lib.* 2. *de Spirito S.* & Theodoretus, *lib.* 5. *adverſus Hæreſes*.

Idem

Idem probat forma Baptiſmi, in qua Deo Patri ac Filio tertius adjungitur Spiritus ſanctus, utique non adjungendus in unum cum illis dignitatis & honoris conſortium, niſi Deus eſſet; neque in Sacramento fidei nominandus, niſi fidei noſtræ eſſet objectum, quod creaturæ non convenit. Hoc argumentum urget Sanctus Athanaſius ad Serapionem ſcribens *de Spiritu ſancto*. Idem argumentum urgent Dydimus, lib. 1. de Spiritu ſancto, Sanctus Hilarius, lib. 2. de Trinit. Theodoret. lib. 5. contra Hæreſ. cap. de Spiritu Sancto, S. Baſilius, lib. 5. contra Eunomium, cap. 10. Spirituſque cum Patre & Filio invocationem *unius* eſſe *divinitatis teſtimonium* colligit, *quoniam nec ſine Filio agit Pater, nec ſine Spiritu Filius*. His Sanctus Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 14. ſuffragatur. Ubi ex eo etiam quod juſſi ſunt baptizari Fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non in nominibus, colligit unum tribus nomen eſſe commune, quod eſt Divinitas. Idem argumentum S. Auguſtinus urget *Tract. 6. in Joannem*.

Idem probant illa Scripturæ teſtimonia, in quibus Patri & Filio, ceu ejuſdem conſors majeſtatis adjungitur Spiritus ſanctus. 2. ad Corinthios 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*. Et 1. ad Corinthios 16. *Et hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domi-*

ni noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.

Reſpondebant Pneumatomachi, Deo in Scripturis Sacris quandoque creaturas adjungi, ut 1. ad Timotheum 5. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, & electis Angelis*, &c. Sic Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus*. His reponebant Sanctus Athanaſius, *in Epiſtola ad Serapionem*, & Sanctus Baſilius, *lib. de Spiritu ſancto, cap.* 13, Angelos in primo loco adduci tamquam teſtes, quo modo ipſæ etiam rationis & ſenſus expertes creaturæ quandoque advocantur, ut Iſaiæ 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra*. At vero Spiritus Sanctus locis ſupra laudatis, tamquam ſocius, & eorum, (quæ Dei propria ſunt,) efficiendorum auctor & particeps cum Patre & Filio adhibetur. In poſteriori vero loco vox *ſervi* Moyſi adjuncta, oſtendit ipſum in ſocietatem & conſortium divinitatis non admitti. Quamquam vero 1. ad Corint. 10. *in Moyſem baptizati* dicantur Hebræi, nihil inde inferri poteſt ad elevandum argumentum, quod ex formula Baptiſmi petitur, ad Spiritus ſancti divinitatem aſſerendam. Dicuntur enim in Moyſem baptizati, non quod ille objectum eſſet Fidei ipſorum; ſed quod legem a Moyſe tamquam a Mediatore datam profeſſi eſſent.

Idem probat locus inſignis Apoſtoli ad Corinthios ſcribentis, Epiſtola 1. c. 2. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritumſ uum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Quo ex loco Patres colligunt Spiritum ſanctum eſſe Deum, ejuſdemque cum Patre ſubſtantiæ. Dei namque arcana noviſſe, ac profunda ſcrutari, creata res nulla poteſt: & quemadmodum hominis ſpiritus, qui ea novit, quæ ſunt hominis, ejuſdem cum homine ſubſtantiæ eſt, non extraneus, ac peregrinus: ſic Dei Spiritus a Deo alienus, eoque inferior eſſe non poteſt, quia ea quæ Dei ſunt cognoſcendo penetrat. Hoc argumentum Sanctus urget Athanaſius, in Epiſtola ad Serapionem, Sanctus Ambroſius, lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 12. & alii. Sic inter alios Ambroſius. *Neque cum omnibus quæ per Filium facta ſunt, annumerandus eſt Spiritus, cum Deum Patrem noverit, quem (ſicut ſcriptum eſt) quis poteſt noſſe niſi Filius? Sed & Spiritus ſanctus novit. Quid ergo? cum dicitur univerſitas creaturarum, non Spiritus ſanctus comprehenditur. Nunc velim reſpondeant, quid eſt in homine quod cognoſcat quæ ſunt hominis? Utique rationabile, quod cæteris animæ virtutibus ſupereminet, & quo præcipue natura hominis æſtimatur. Quid eſt igitur Spiritus, qui alta Dei novit, per quem Deus omnipotens revelatur? Numquid plenitudine divinitatis inferior eſt, qui ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid ignorat, qui novit conſilia Dei, & myſteria*

ſteria ejus ab initio abſcondita? Quid eſt quod neſciat, qui novit omnia quæ Dei ſunt? Spiritus enim etiam alta Dei ſcrutatur. Ac ne putes quod ſcrutetur incognita, & ideo ſcrutetur ut diſcat id quod ignorat; ante præmiſit. Quia revelavit nobis Deus per Spiritum ſuum: ſimul ut diſceres, quia novit Spiritus quæ nobis per ipſum Spiritum revelantur, in poſterioribus ait. Quis enim ſcit hominum, quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis qui in ipſa eſt? Sic & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Ergo ſi hominis ſpiritus novit quæ hominis ſunt, & antequam ſcrutetur novit; poteſtne aliquid Dei eſſe, quod Spiritus Dei neſciat? De quo non otioſe Apoſtolus dixit. Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei: ut non ſcrutando cognoverit, ſed noverit per naturam. Non quod accidens in eo ſcientia divinorum, ſed cognitio naturalis ſit. Verum, ſi te movet, quia dixit, ſcrutatur, accipe quia id quoque de Deo ſcriptum eſt, eo quod ſit ſcrutator cordis & renum. Ipſe enim dixit: Ego ſcrutans corda & renes. Etiam de Filio Dei habes ad Hebræos; Qui ſcrutator eſt animi & cogitationis. Unde liquet, quia nemo inferior ſuperioris ſcrutatur arcana. Divinæ enim ſolius eſt poteſtatis occulta noviſſe. Similiter ergo ſcrutator eſt Spiritus ſanctus, ut Pater, ſimiliter ſcrutator ut Filius, cujus proprietate ſermonis id exprimitur, ut videatur nihil eſſe quod neſciat, quem nihil præterit.

Totam iſtius vim argumenti paucioribus ver-

verbis complectitur Sanctus Fulgentius in Reſponſione ad Inquiſitiones Ferrandi: *Iſtam quippe plenitudinem cognitionis*, inquit, *ſola poſſidet unitas naturalis, per quam ſic eſt in Deo Spiritus ejus, ut unus ſit cum illo naturaliter Deus.*

Utuntur & Patres ad probandum Spiritus ſancti Divinitatem illis Scripturæ ſacræ teſtimoniis, quibus peccatum in ipſius Majeſtatem admiſſum irremiſſibile dicitur, *Marci* 3. *Matthæi* 12. *Lucæ* 12. Sic inter alios hæc urget loca Sanctus Ambroſius, *lib.* 1. *di Spiritu ſancto, cap.* 3. *Quomodo igitur inter creaturas audet quiſquam Spiritum computare? aut quis ſic ſe obligat, ut ſi creaturæ derogaverit, non putet ſibi hoc aliqua venia relaxandum? Nam ſi Judæi, quia adoraverunt Militiam cæli, divino præſidio deſtituti ſunt: qui autem adorat & confitetur Spiritum ſanctum, acceptus eſt Deo; qui non confitetur, ſacrilegii reus ſine venia damnatur: utique hinc æſtimari poteſt, non inter omnia, ſed ſuper omnia eſſe Spiritum ſanctum, cujus injuria æternis ſuppliciis expiatur. Cur autem dixerit Dominus: Qui blaſphemaverit in Filium hominis, remittetur ei; qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, nec in futurum remittetur ei, diligenter adverte. Numquid alia eſt offenſa Filii, alia Spiritus ſancti? Sicut enim una dignitas, ſic una injuria. Sed ſi quis corporis ſpecie deceptus humani remiſſius aliquid ſentit de Chriſti carne, quam dignum eſt, habet culpam, non eſt ta-*

men excluſus a venia quam fide poſſit adſciſcere. Si quis vero ſancti Spiritus dignitatem, majeſtatem, & poteſtatem abnegat ſempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici dæmonia ſed in Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ ubi ſacrilegii plenitudo eſt; quia qui Spiritum negavit, & Deum Patrem negavit & Filium.

Probatur inſuper Sancti Spiritus Divinitas ex operibus, quæ cum ſolus Deus edere poſſit, ea tamen Spiritui ſancto velut auctori tribuuntur, inter quæ ſanctificatio hominum, adoptio, remiſſio peccatorum principem locum obtinent. Porro *Sanctificare nulla creatura aliam penitus poteſt: largitio ſanctificationis, munificentia ſolius eſt Majeſtatis*, inquit Paſchaſius lib. 1. *de Spiritu S. cap.* 11. Cum igitur proprium illud ſit Spiritus ſancti, unde & *Spiritus Sanctificationis* (ad Romanos 1.) & *Spiritus adoptionis* (ad Romanos 8.) & *Spiritus gratiæ* (ad Hebræos 11.) & *in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa* dicatur (Actorum 10.) & *oblatio Gentium ſanctificata in Spiritu ſancto* (Roman. 15.) & *Charitas Dei diffuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* (Rom. 5.) & Deus *ſalvos nos fecerit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum* (ad Titum 3.) & *nemo poſſit dicere Dominus Jeſum, niſi in Spiritu ſancto.* (1. ad Corinthios 12.) colligitur Spiritum ſanctum creaturam

turam non eſſe, ſed verum Deum. Hoc argumentum urget Sanctus Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap 5. *Creatura* (inquit) *ſanctificatur; ſanctificat autem Spiritus ſanctus.... Non ergo poteſt ſanctificatio & corruptela unius eſſe naturæ: & ideo non poteſt gratia ſancti Spiritus, & creatura unius eſſe ſubſtantiæ. Itaque cum omnis inviſibilis, præter Trinitatem, reliqua natura, cujus rationabilem & incorpoream jure quidam ſubſtantiam putant, non impertiat ſpiritualem gratiam, ſed acquirat; nec participet, ſed aſſumat; ſeparanda eſt utique a ſocietate Spiritus ſancti communitas creaturæ.*

Eodem ſpectant verba Chriſti Nicodemum alloquentis (Joann. 3.) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. Et ſubinde: *Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu*. Quem locum Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Theſauro, Aſſertione 34. cum altero ejuſdem Evangeliſtæ comparans (cap. 1.) *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, Spiritum ſanctum eſſe Deum colligit. Idem teſtimonium urget Sanctus Ambroſius, *lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 11.*

Idem probant illa Scripturæ loca, quæ Spiritum ſanctum in nos effuſum teſtantur, *Joel* 2. *Roman.* 5. *Tit.* 3. quibus in locis *ipſum effuſionis nomen increatam Spiritus ſancti ſubſtantiam probare* contendit Didymus, lib. 2. de Spi-

Spiritu ſancto: *Neque enim Deus, cum Angelum mittit aut aliam creaturam, effundam, dicit, de Angelo meo, aut Principatu, aut Throno: in ſolis quippe his quæ ab aliis participantur, hic ſermo conſentit*. Id eſt, de ſolis accidentibus dicitur, de nulla vero ſubſtantia ſpiritali creata, ſed de increata tantum & divina dici poteſt. Eadem loca urget Sanctus Ambroſius, *lib.* 1. *de Spiritu ſancto, cap.* 7. & Paſchaſius, *lib.* 2. *cap.* 1. dicens: *Auctori tantum debetur hoc privilegium, ut conſcientiam poſſit intrare ſecretam. Anima vero animæ, aut Angelus Angelo conjugi poteſt, infundi non poteſt*.

Idem probant loca Scripturæ ſacræ, quibus viri ſancti Spiritu ſancto repleti dicuntur, & Spiritus ſanctus in iis eſſe & manere. Act. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*: & alibi paſſim. *Nemo autem ſive in Scripturis, ſive in conſuetudine, plenus creatura dicitur. Soli divinæ naturæ convenit hic ſermo* inquit Didymus, *lib.* 1. *de Spiritu ſancto*: qui *& lib.* 3. clarius hanc propoſitionem explicat dicens, *Animam*, vel *mentem hominis nullam creaturam juxta ſubſtantiam poſſe implere, niſi ſolam Trinitatem. Quamvis ſecundum operationem, & voluntatis errorem, ſive virtutem, animus de his quæ creata ſunt, impleatur*. Idem argumentum urget S. Ambroſius, *lib.* 1. *de Spiritu ſancto cap.* 7. & pariter ac Didymus, Spiritus ſancti divininitatem ex incircumſcripta ejus ſubſtantia probat. *Creaturam* enim *om-*

omnem certis naturæ ſuæ limitibus circumſcriptam eſſe docet: *Spiritum vero ſanctum in omnibus , & ubique ſemper eſſe* . Quod Apoſtolorum confirmat exemplo. *Incircumſcriptus* igitur, inquit, *& infinitus Spiritus ſanctus, qui ſe Diſcipulorum ſenſibus per ſeparatarum divortia diſcreta regionum , remotoſque fines totius orbis infundit , quem nihil poteſt præterire , vel fallere* .

Quod ſpectat Spiritus ſancti in nobis inhabitationem & manſionem , eam Chriſtus luculentiſſime deſcripſit Joann. 14. „ Ego , *in*„ *quit* , rogabo Patrem, & alium Paracletum „ dabit vobis , ut maneat vobiſcum in æter„ num . Spiritum veritatis, quem mundus „ non poteſt accipere , quia non videt eum , „ nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, „ quia apud vos manebit , & in vobis erit . *Et* „ 1. *Joan.* 4. In hoc cognoſcimus , quia in „ ipſo manemus , & ipſe in nobis , quia de „ Spiritu ſuo dedit nobis . „ SI ERGO , inquit Sanctus Cyrillus, in Theſauro , Aſſertione 34. „ inhabitante in nobis per participa„ tionem Spiritu , Deus eſt qui inhabitat, „ ipſeque in nobis ſit , & nos in ipſo , quia „ Spiritum in nobis geſtamus : quomodo non „ erit Spiritus Deus , qui totam Dei ac Patris „ deitatem in ſe eſſentialiter continet , cujus „ & Spiritus eſt , & per Filium creaturis do„ natur ?

„ *Et infra* : Chriſtus alicubi de iis qui par„ ticipatione deitatis digni ſunt , ita ait : E-

go

„ go & Pater veniemus, & manſionem apud „ eum faciemus. Atqui conſtat eum per Spi- „ ritum in ſanctis habitare. Cum ergo Spi- „ ritus ſanctus, Patris ſimul & Filii præſen- „ tia nos impleat: quomodo non ſit manife- „ ſtum, Spiritum a divina eſſentia ſejungi non „ poſſe: ſed ex ipſa naturaliter emitti, & „ univerſam Patris & Filii operationem ha- „ bere?

Probatur ſecunda pars Propoſitionis, adducendo Patrum teſtimonia, qui Spiritus ſancti Divinitatem ſcriptis ſuis propugnarunt. Profero in primis Tertullianum lib. adverſus Praxeam, cap. 13. „ Duos, *inquit*, definimus „ Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu „ ſancto, ſecundum rationem œconomiæ, „ quæ facit numerum .... Duos tamen Deos „ & duos Dominos numquam ex ore noſtro „ proferimus: non quaſi non & Pater Deus, „ & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, „ & Deus unuſquiſque, &c. *Et cap.* 4. Ra- „ dix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ. „ Et fons & flumen duæ ſpecies ſunt, ſed in- „ diviſæ. Et ſol & radius duæ formæ ſunt, „ ſed cohærentes ... Tertius & Spiritus ſan- „ ctus a Deo, & Filio, ſicut tertius a radice „ fructus ex frutice: & tertius a fonte rivus „ ex flumine: & tertius a ſole apex ex radio. „ Nihil tamen a matrice alienatur, a qua pro- „ prietates ſuas ducit. Ita Trinitas per con- „ ſertos & conexos gradus a Patre decurrens, „ & Monarchiæ nihil obſtrepit, & οἰκονο- „ μίας ſtatum protegit. Pro-

Profero ſecundo Sanctum Athanaſium in Epiſtola ad Serapionem: „ Res conditæ (*inquit*) ex non exiſtentibus extiterunt, cum „ habeant principium ſuæ eſſentiæ. Ex Deo „ autem dicitur Spiritus. Nemo enim, inquit, novit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus „ hominis, qui eſt in illo: ita quæ ſunt Dei, „ nemo novit niſi Spiritus Dei. Nos autem „ non Spiritum mundi accipimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt. Quæ igitur, ſecundum „ iſta verba cognatio eſt Spiritui ſancto cum „ creaturis: cum creaturæ aliquando non „ erant, Deus autem ſemper ſit, ex quo „ Spiritus ſanctus? Quod autem ex Deo eſt, „ non eſt ex nihilo, neque conditum quidpiam in ſe habere poterit.

Et infra: „ Spiritus iſte, Spiritus ſanctificationis & renovationis & eſt, & dicitur: „ creaturæ autem non dant, ſed accipiunt ſanctificationem & renovationem... Quod „ igitur non ſanctificatur ab alio, neque particeps redditur ſanctificationis, ſed ſanctificationem impartit, in quo creaturæ omnes „ ſanctificantur, quomodo illud fuerit unum „ ex vulgo rerum conditarum? Neceſſum „ enim eſt iis qui hoc loquuntur, dicere etiam, Filium per quem omnia ſunt condita, „ unum eſſe ex hoc vulgo univerſitatis.

Spiritus quoque vivificator dicitur „ Qui „ excitavit enim (*inquit*) Jeſum Chriſtum „ ex mortuis, vivificabit mortalia corpora „ veſtra per inhabitantem in vobis Spiritum.

„ Et

„ Et Dominus eſt ipſiſſima vita, & dux, & „ ſubminiſtrator vitæ, ut inquit Petrus. Di- „ xit porro illis Dominus: Aqua quam ego „ dabo ei, fiet in illo fons aquæ ſalientis in „ vitam æternam: hoc autem dixit de Spiri- „ tu quem accepturi erant credentes in eum. „ Jam quod non aliunde particeps redditur „ vitæ, ſed vivificat res conditas, quam ha- „ bet cognationem cum creaturis?

„ Videamus tamen adhuc illam ipſam ini- „ tio traditionem, & doctrinam, & Fidem „ Catholicæ Eccleſiæ, quam Chriſtus quidem „ dedit, Apoſtoli vero prædicaverunt, & Pa- „ tres ſervaverunt. In hac enim Eccleſia „ fundamur, & qui inde excidit, neque eſſe, „ neque dici poterit Chriſtianus. Trinitas i- „ gitur ſancta & perfecta in Patre, & Filio, „ & Spiritu ſancto, rationem deitatis acci- „ pit, nihil alienum, aut foris ſuperinductum „ poſſidet, neque ex Creatore & creatura „ conſiſtit, ſed tota eſt ex Creatore & condi- „ tore rerum, ſibi ſimilis, & natura indiviſi- „ bilis, unaque ejus operatio. Pater enim per „ Verbum in Spiritu ſancto omnia facit. At- „ que ita Unitas Trinitatis ſervatur, & ita „ unus Deus in Eccleſia prædicatur, qui eſt „ ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus. „ Super omnia quidem ut Pater, ut Princi- „ pium & fons, per omnia vero per Verbum. „ In omnibus porro in Spiritu ſancto.

Profero tertio Sanctum Baſilium Magnum, *l.* 2. de Spiritu ſancto, *c.* 9. „ Jam vero, *in-* „ *quit*,

„ *quit*, etiam de Spiritu ſancto, communes
„ noſtræ ſententiæ cujuſmodi ſint expenda-
„ mus, tum eas quæ nobis de illo e Scriptu-
„ ris collectæ ſunt, tum eas quas Patrum tra-
„ ditione ſine ſcripto accipimus. Primum
„ igitur qui audivit appellationes Spiritus,
„ erigitur animo, & ad ſupremam naturam
„ cogitationem attollit. Nam Spiritus Dei
„ dictus eſt, Spiritus veritatis qui ex Patre
„ procedit; Spiritus rectus, principalis; Spi-
„ ritus ſanctus, quæ poſtrema propria eſt illius
„ ac peculiaris appellatio. Quod ſane nomen
„ omnium maxime declarat id quod eſt incor-
„ poreum, & ab omni materia purum, atque
„ incompoſitum. Quapropter & Dominus,
„ ut animum qui putat Deum in loco adoran-
„ dum, doceat eum incomprehenſibilem &
„ & incorporeum eſſe, Spiritus, inquit, eſt
„ Deus. Proinde fieri non poteſt, ut qui au-
„ dit Spiritus naturam loco circumſcriptam,
„ aut mutationibus & alterationibus obno-
„ xiam, aut omnino creaturæ ſimilem ima-
„ ginationem imprimat menti ſuæ: ſed ad id
„ quod ſummum eſt cogitatione proficiſcens,
„ intelligibilem ſubſtantiam cogitet neceſſe
„ eſt, virtute infinitam, magnitudine in-
„ circumſcriptam, nec temporum nec ſæcu-
„ lorum dimenſionem recipientem, nemini
„ bona quæ habet ipſa invidentem . . . ſic
„ perficiētem cetera ut ipſe in nullo deficiat:
„ non aliunde parta vita viventem, ſed qui
„ ſit ipſe vitæ largitor, nec acceſſionibus au-

„ ge-

„ geſcentem, ſed plenum, rectum, in ſeipſo
„ collocatum, qui nuſquam non adeſt, ſan-
„ ctificationis parentem, lucem intelligibi-
„ lem, univerſæ potentiæ rationali ad veri-
„ tatis inveſtigationem velut illuſtrationem
„ quamdam ex ſe præbentem, natura inaceſ-
„ ſum, ſed qui capi poſſit ob benignitatem:
„ omnia quidem impletum virtute, ſed ſolis
„ iis qui digni ſunt communicabilem .... ſim-
„ plicem juxta eſſentiam, ſed potentiis va-
„ rium; qui ſingulis totus adeſt, & totus ubi-
„ que eſt, *&c.*

„ *Et cap.* 12. Proinde ſi in Baptiſmo ſepa-
„ rare Spiritum a Patre & Filio, ut periculo-
„ ſum eſt baptizanti, ita Baptiſmum accipien-
„ ti inutile, quomodo nobis tutum fuerit a
„ Patre & Filio diſtrahere Spiritum? Fides ac
„ Baptiſma duo ſunt modi parandæ ſalutis in-
„ ter ſe cognati & inſeparabiles. Nam fides
„ perficitur per Baptiſmum, Baptiſmus vero
„ fundamento fidei nititur, & utraque res per
„ has voces impletur. Sicut enim credimus
„ in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum,
„ ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii,
„ & Spiritus ſancti.

Et cap. 16. Spiritus ſancti cum Patre & Fi-
lio communione probat ex rerum creatione,
ac intelligibilium præſertim ſubſtantiarum:
„ In horum autem creatione, *inquit*, cogita
„ mihi principalem cauſſam eorum quæ fiunt,
„ Patrem, dein conditricem Filium, perfe-
„ ctricem Spiritum ſanctum: ut voluntate

„ qui-

„ quidem Patris ſint adminiſtratorii Spiritus,
„ Filii vero operatione perducantur ut ſint,
„ Spiritus autem adventu perficiantur. Porro Angelorum perfectio eſt ſanctificatio,
„ & in hac perſeverantia. Ac nemo me credat tres originales ſubſtantias ponere, aut
„ Filii operationem imperfectam eſſe. Principium enim eorum quæ ſunt, unum eſt, per
„ Filium condens, per Spiritum ſanctum
„ perficiens.

Id confirmat ſacro oraculo Pſalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In quo tria intelligi monet, *Mandantem Dominum, creans Verbum & confirmantem Spiritum ſanctum. Quæ porro*, inquit, *alia poſſit eſſe confirmatio, quam in ſanctimonia perfectio, confirmationis verbo ſignificante conſtantiam, immutabilitatem, ac ſoliditatem in bonis? Sanctificatio vero non eſt abſque Spiritu: neque enim cælorum virtutes ſuapte natura ſanctæ ſunt. Nam ſi id eſſet, nulla re diferrent a Spiritu ſancto.*

Et infra, omnes Providentiæ divinæ diſpoſitiones circa hominem in Spiritum ſanctum refundit: „ Ceterum, *inquit*, diſpoſitiones
„ circa hominem, quæ factæ ſunt a magno
„ Deo & Servatore noſtro Jeſu Chriſto, juxta bonitatem Dei & Patris, quis negabit
„ per Spiritus gratiam eſſe peractas? Sive
„ igitur velis priſca ſpectare, veluti Patriarcharum benedictiones, auxilium per legem
„ datum, figuras, Prophetias, fortiter in
„ bellis

„ bellis geſta, miracula per Sanctos edita: ſi-
„ ve quæ circa Chriſti in carne adventum di-
„ ſpenſata ſunt; per Spiritum geſta ſunt om-
„ nia. Primo enim adfuit ipſi carni Domini-
„ cæ, dum illi factus eſt unctio, & inſepara-
„ biliter conjunctus, ſicut ſcriptum eſt: Su-
„ per quem videris Spiritum deſcendentem,
„ & manentem ſuper eum, hic eſt Filius
„ meus dilectus. Deinceps omnis actio præ-
„ ſente Spiritu ſancto peragebatur. Hic aderat
„ ſimul cum & a diabolo tentaretur. Dedu-
„ ctus eſt, inquit, Jeſus a Spiritu in deſertum
„ ut tentaretur. Tum edenti miracula ſimul
„ aderat. Si enim, inquit, in Spiritu ejicio
„ dæmonia. Nec deſeruit excitatum a mor-
„ tuis. Dominus enim qui renovabat homi-
„ nem, eique reddebat gratiam, quam &
„ afflatu Dei acceptam amiſerat, cum inſpi-
„ raſſet in faciem Diſcipulorum, quid ait?
„ Accipite Spiritum ſanctum, *&c.* Jam vero
„ Eccleſiæ ordo & gubernatio nonne palam
„ & citra contradictionem per Spiritum San-
„ ctum peragitur? Ipſe, inquit, dedit Ec-
„ cleſiæ, primum Apoſtolos, deinde Prophe-
„ tas, tertio Doctores, *&c. Addit*, Ne in
„ tempore quidem apparitionis de Cælo Do-
„ minicæ, quam expectamus, otioſum fore
„ Spiritum ſanctum, ſed ſimul adfuturum in
„ die quo ſe manifeſtabit Filius. Qui enim
„ adeo ignarus eſt bonorum, quæ Deus præ-
„ paravit dignis, ut neſciat juſtorum coronam
„ eſſe Spiritus beneficium, quod tum largius
„ per.

„ perfectiuſque dabitur, ſpirituali gloria cui-
„ que pro recte geſtis diſtributa?

Deinde, hanc Chriſti Domini contra ſervum nequam comminationem: *Dividet eum, & & partem ejus ponet cum hypocritis*, non ita intelligendam eſſe ait, quaſi dimidium hominis peccatoris pœnis addicatur, aut duas in partes ſecetur anima; *Sed diſſectio animæ*, inquit, *eſt perpetua a Spiritu ſancto alienatio. Nunc enim tametſi non admiſcetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adeſſe ſemel baptizatis, expectans ut ad ſalutem convertantur. Tum vero in totum ab anima, quæ gratiam ipſius profanaverit, reſecabitur. Eoque non eſt in inferno qui confiteatur, neque in morte qui memor ſit Dei: quod jam non adſit ſancti Spiritus adjutorium. Quomodo igitur intelligi poteſt abſque Spiritu ſancto fieri judicium, cum Scriptura ſacra declaret, Spiritum eſſe juſtorum præmium, quando pro arrhabone exhibebitur quod perfectum eſt?*

Et cap. 21. Spiritus ſancti divinitatem ex eo probat, quod *Dominus* in Scripturis appelletur, quodque homines in iiſdem vocentur templum Dei. *An Scriptura*, inquit, *admiſit unquam ut ſervile domicilium appellatione templi honoraret?* Id etiam probat ex eo quod ſacra Scriptura *divinitus inſpirata* dicatur *eo quod afflatu Spiritus ſcripta ſit*.

Et cap. 22. probat Spiritum ſanctum cum Patre & Filio Deum unum eſſe, non ſolum ex hoc quod eaſdem habet appellationes, & in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in operationibns conſors eſt Patri & Filio; *Verum etiam ex eo quod pariter atque illi, incomprehenſibilis eſt intellectu.*

Denique Sanctus Baſilius Divinitatem Spiritus ſancti probat ex Hymno Glorificationis, quo tribuebatur ab omni Eccleſia *Gloria Patri cum Filio, & cum Spiritu ſancto*: vel *per Filium in Spiritu ſancto*. Utramque enim glorificandi formulam Sanctus uſurpavit Baſilius, utramque propugnavit adverſus eos qui negotium ipſi propterea faceſſebant, quod utramque indifferenter uſurparet. Hinc 25. libri laudati capite oſtendit primo hanc ſyllabam, *in*, idem ſignificare ac illam conjunctionem, *cum*, ſecundum Scripturæ ſacræ phraſim; atque adeo Hæreticos Scripturam ſacram in alienum & pravum detorquere ſenſum, cum hunc loquendi modum uſurpant (*in Spiritu ſancto*) ut Spiritum ſanctum inferiorem Patre & Filio obtrudant. *At ego*, inquit *nequaquam dixerim hanc ſyllabam*, in, *ſenſum minus honorificum, immo potius ſi ſane accipiatur, ad maximam Spiritus celſitudinem erigere mentem, quandoquidem obſervavimus hanc frequenter uſurpari pro*, cum, *quod genus eſt illud. Ingrediar domum tuam* in *holocautomatibus pro*, cum *holocautomatibus: &*, *Eduxit eos* in *argento & auro*; *pro*, cum *argento & auro*.

Secundo aſſerit Sanctus Baſilius indifferentem eſſe utriuſque vocis uſum, ſi ſano ſenſu uſurpetur; ac pluribus explicat, quomodo, *cum* eamdem vim habeat quam, *Et*, nec ita

fa-

facile ab Hæreticis carpi poſſit. *Nos enim*, inquit, *ambas dictiones e Fidelium uſu mutuati, ambabus utimur, Glorificationem quidem ex æquo per utramque impleri perſuaſi: eis vero qui depravant veritatem, magis obturari os credimus propoſita dictione, quæ cum vim habeat Scripturis congruentem, non ita facile ab adverſariis carpi poteſt. Eſt autem hæc cui non ab iſtis contradicitur, quæ pro, Et conjunctione ſumitur: nihil enim refert utrum dicas, Paulus, & Sylvanus, & Timotheus, an Paulus, cum Timotheo, & Sylvano. Nominum enim connexio utraque pronuntiatione ſimiliter ſervatur. Itaque, ſi cum Dominus diceret, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ipſe dicam, Patrem & Filium cum Spiritu ſancto, nihil diverſum dixero, quod ad ſententiæ vim attinet.*

Tertio, oſtendit hanc conjunctionem, *Cum* majorem vim habere, quam, *Et*, quia non ſolum Sabellianos, ut illa, jugulat, ſed & Arianos confodit. *Etiam rationem reddam*, inquit, *juxta quam Patres noſtri non otioſe ſimul amplexi ſint hujus præpoſitionis uſum. Nam præterquam quod hæc idem valet, quod, Et, ad refellendam Sabellii malitiam, & ſimiliter atque illa conjunctio perſonarum proprietatem declarat, velut; Ego & Pater veniemus; Ego & Pater unum ſumus: eximium habet ſempiternæ communionis, ac perpetuæ conjunctionis teſtimonium. Nam qui dixit, cum Patre Filium eſſe, ſimul & perſonarum* pro-

proprietatem , & inſeparabile conſortium expreſſit .

Cap. 26. demonſtrat hanc ſyllabam , *in* , apprime tribui Spiritui ſancto in Glorificatione, ac duplicem ex illa conſurgere ſenſum , utrumque Orthodoxum . *Ceterum* , inquit , *magis pium eſt dicere eum eſſe cum Patre & Filio , quam ineſſe Patri . Nam gratia ab eo manans , habitante in iis qui digni ſunt , ac ſuas operationes in illis exercente , recte dicitur ineſſe iis qui ſunt illius capaces . At illius ſubſiſtentia , quæ fuit ante ſæcula , nec umquam deſitura perpetuitas cum Filio & Patre conſiderata, ſempiternæ potentiæ & conjunctionis requirit appellationes ... Proinde quoties peculiarem Spiritus dignitatem intelligimus, cùm Patre & Filio ipſum eſſe contemplamur . Ubi vero gratiam in iis qui Spiritus participes ſunt , ſentimus, in nobis eſſe Spiritum dicimus. Et quæ a nobis defertur glorificatio Spiritui, non habet profeſſionem dignitatis illius , ſed noſtræ imbecillitatis confeſſionem . Dum oſtendimus quod nec idonei ſumus a nobis ipſis glorificare , ſed ſufficentia noſtra eſt in Spiritu ſancto , in quo corroborati , pro beneficiis acceptis Deo noſtro gratias abſolvimus , juxta quod a malitia purgati ſumus . Secundum unum igitur modum , ſic pie gratiarum actionem in Spiritu perſolvimus .*

Alter autem intellectus eſt , nec ipſe rejiciendus , quod ſicut in Filio videtur Pater , ſic Filius videtur in Spiritu . Itaque adoratio quæ fit in Spiritu , animis noſtris velut in lucem adducit

ductis vim ſuam ſuggerit, ut diſcere licet ex his quæ Samaritanæ *dicta ſunt. Dominus enim adorationem, quæ juxta regionis illius conſuetudinem erat uſitata, ſua doctrina abrogans; in* Spiritu, *inquit, & veritate oportet adorare; nimirum ſeipſum appellans veritatem. Quemadmodum igitur in Filio dicimus adorationem, velut in imaginem Dei ac Patris: ſic & in Spiritu ſancto dicitur, tamquam in ſeipſo Domini Divinitatem exprimente.*

Cap.27. inter ſe non pugnare aſſerit utramque dictionem, in *Spiritu*, & *cum Spiritu*, ſed utramque peculiarem intellectum ad pietatem afferre. *Siquidem præpoſitio, in, magis denotat Dei ſocietatem nobiſcum: ac præpoſitio, cum, exprimit communionem Spiritus cum Deo; ideoque vocibus ambabus uſi ſumus, altera quidem dignitatem Spiritus exprimentes; altera gratiam, quæ nobis ab illo eſt, declarantes... Confirmat autem rationem nobis Apoſtolus indifferenter utraque voce uſus, interdum ita loquens. In nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Et rurſus. Congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti: nihil intereſſe ratus ad nominum conjunctionem, ſive utaris conjunctione, ſive præpoſitione.*

Denique, cap. 29. cum veneranda eſſe vetuſta dogmata dixiſſet, quod ob antiquitatem & canitiem quamdam, habeant quid reverendum, celeberrimos Patres laudat, qui indiſcriminatim his vocibus uſi ſunt, nihilque

referre exiſtimarunt ad rectam pietatis intelligentiam, quibus quis uteretur. Laudat itaque Irenæum, Clementem Romanum, Dionyſium Alexandrinum, Euſebium Palæſtinum, Origenem, Julium Africanum, Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum, Meletium Ponticum, qui hunc loquendi morem paſſim in Glorificatione uſurparunt. Laudat etiam ſui temporis morem, & omnium Eccleſiarum conſuetudinem, quæ Patrem cum Filio & Spiritu ſancto glorificabant. *Sed quid opus eſt*, inquit, *vetera commemorare? Immo nunc qui ſunt Orientales, nonne hoc uno potiſſimum pie ſentientes agnoſcunt, hac voce veluti ſigno ſuos ab alienis dijudicantes? Ut autem ego a quodam Meſopotamo audivi, viro & linguæ eruditæ, & mentis integræ, neque fieri poteſt ut lingua vernacula aliter loquantur etiamſi velint; ſed neceſſe illis eſt, ut per ſyllabam, Et, vel potius per æquipollentes uſi voces, juxta proprietatem linguæ regionis illius, glorificationem offerant. Quin & Cappadoces ſic juxta regionis morem loquimur. Quid porro Occidens totus propemodum ab Illyrico uſque ad fines noſtri Orbis? Nonne hanc vocem tuetur? Qui fit igitur ut ego ſim innovator, & recentiorum verborum architectus, cum totas Nationes, & civitates, & conſuetudinem omni hominum memoria vetuſtiorem; inſuper & Viros Eccleſiæ columnas, & omni ſcientia ac virtute Spiritus venerandos, duces & defenſores hujus vocis exhibeam?*

Pro-

Profero quarto Sanctum Gregorium Nazianzenum *Orat.* 37. dicentem. *Si Spiritus adorandus non eſt, quomodo me Deum per Baptiſmum efficit? Si autem adorandus, an non colendus & venerandus? Si porro venerandus, an non Deus? Unum uni cohæret, ac vere aurea quædam & ſalutaris eſt hæc catena. Et quidem a Spiritu regenerationem habemus, a regeneratione inſtaurationem, ab inſtauratione cognitionem dignitatis illius, a quo inſtaurati ſumus. Atque hæc ſunt, quæ ab eo afferri queant, qui Spiritus Divinitatem nullo Scripturæ loco niti conceſſerit. Jam vero tibi auctoritatum examen prodibit, ex quibus Scripturæ teſtimonio admodum confirmatam eſſe Spiritus divinitatem oſtendetur. Sic autem expende. Naſcitur Chriſtus, præcurrit Spiritus. Baptizatur ille, hic teſtimonium fert. Tentatur ille, hic abducit. Miracula edit ille, hic comitatur. Aſcendit ille, hic ſuccedit. Quid enim adeo magnum & divinum eſt, quod non ipſe poſſit? Quod tam divinum nomen eſt, quo non excepto ingeniti & geniti nomine appelletur?*

Profero quinto Concilium Conſtantinopolitanum primum, Oecumenicum ſecundum, adverſus Macedonianos congregatum, quod in Symbolo profitetur Sancti divinitatem Spiritus his verbis: *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.*

Et in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Occidentis, centum quinquaginta Patres ſic loquuntur. *Etenim iſta Fides, tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus qui verbum veræ Fidei non pervertunt, approbari debet, quippe cum & antiquiſſima ſit, & lavacro Baptiſmatis conſentanea, & nos doceat credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum, in tribus perfectiſſimis hypoſtaſibus, ſive in tribus perfectis perſonis, adeo ut nec quidquam loci detur peſtiferæ Sabellii Hæreſi, qua confunduntur perſonæ; neque blaſphemiæ Eunomianorum, Arianorum, aut eorum qui Spiritum ſanctum oppugnant, quidquam habeat ponderis: quæ quidem eſſentiam, naturam ſive divinitatem diſcindit, & Trinitati quæ increata, & conſubſtantialis, & coæterna eſt, naturam poſterius genitam, aut creatam, aut quæ ſit alterius eſſentiæ inducit.*

Profero ſexto Synodicam Damaſi Romani Pontificis Epiſtolam anno Chriſti 382. datam ad Paulinum Antiochenum, cum e Romana Synodo rediens, una cum Aſcolio Theſſalonicæ ſubſtitiſſet. Hac in Epiſtola quam deſcribit Theodoretus, lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11. Pneumatomachi his verbis confodiuntur. *Et quia poſt Concilium Nicænum hic error inolevit, ut quidam ore ſacrilego auderent dicere, Spiritum ſanctum factum eſſe per Filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre & Fi-*

& Filio unius poteſtatis eſſe atque ſubſtantiæ. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet ſermone diſſimili, Filium & Spiritum ſanctum aſſerunt eſſe creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii ſtirpe venientes, non perfidiam mutavere, ſed nomen.... Si quis non dixerit ſemper Patrem, ſemper Filium, ſemper Spiritum ſanctum fuiſſe & eſſe, anathema ſit.

Si quis non dixerit Spiritum ſanctum de Patre eſſe vere ac proprie, ſicut Filius de divina ſubſtantia, & Deum verum, anathema ſit.

Si quis non dixerit omnia poſſe Spiritum ſanctum, omnia noſſe, & ubique eſſe, ſicut Filium & Patrem, anathema ſit.

Si quis dixerit Spiritum ſanctum facturam eſſe, aut per Filium factum, anathema ſit,

Si quis non dixerit omnia per Filium qui incarnatus eſt, & Spiritum ſanctum, Patrem feciſſe, id eſt, viſibilia & inviſibilia, anathema ſit.

Si quis non dixerit, Patris & Filii, & Spiritus ſancti unam Divinitatem, poteſtatem, majeſtatem, potentiam, unam gloriam; dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, anathema ſit.

Si quis tres Perſonas non dixerit veras, Patrem & Filium, ac Spiritum ſanctum, æquales, ſemper viventes, omnia continentes, viſibilia & inviſibilia, omnipotentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia ſalvantes, anathema ſit.

Si quis non dixerit Spiritum ſanctum adorandum ab omni creatura, ſicut Filium, & Patrem, anathema ſit.

Si quis de Patre, & Filio bene ſenſerit, de Spiritu autem ſancto non recte habuerit, Hæreticus eſt: quia omnes Hæretici de Filio Dei, & Spiritu ſancto, male ſentientes, in Judæorum atque Gentilium perfidia inveniuntur.

Profero ſeptimo S. Ambroſium in libris *de Spiritu ſancto*, e quibus has rationes defloravimus. *Omnis mutabilis creatura: ſed non mutabilis Spiritus ſanctus. Neque enim aliquo vitio mutari poteſt, qui omnium abolet vitia, peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis, qui ſanctificando alios mutat ad gratiam, non ipſe mutatur? Quomodo mutabilis qui bonus ſemper eſt? Neque enim umquam malus Spiritus ſanctus, per quem nobis quæ bona ſunt, miniſtrantur. Unde & Evangeliſtæ duo, in uno eodemque loco, diverſis quidem inter ſe verbis, ſed eadem deſignarunt. Habes enim in Matthæo. Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Secundum Lucam autem invenies ita ſcriptum: Quanto magis Pater veſter de cælo dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe? Advertimus ergo bonum eſſe Spiritum ſanctum Domini judicio, Evangeliſtarum teſtimonio: quando alius pro ſancto Spiritu bona, alius pro bonis ſanctum Spiritum nominavit.*

II. Ratio. *Una Gratia, una Charitas, una Com-*

Communicatio eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti, ex Scriptura ſacra. *Una* ergo *operatio eſt. Et ubi una operatio eſt, utique non poteſt virtus eſſe diviſa, diſcreta ſubſtantia. Nam quomodo operationis ejuſdem gratia conveniret?*

III. Ratio. *Unum nomen eſt Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Scriptum eſt enim: Ite, Baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti .... Una divinitas, una Majeſtas eſt; quia unum nomen.* Oſtendit autem inter Filium & Spiritum ſanctum nominum eſſe communionem Sanctus Ambroſius. Nam Paraclitus appellatur Filius, ſicut & Spiritus ſanctus: unde Chriſtus ait: *Rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis*. Et S. Joannes ait. *Si quis peccaverit, Paraclitum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum*. Ita enim legit Sanctus Ambroſius, ubi nos legimus. *Advocatum habemus apud Patrem*. Spiritus ſanctus veritas etiam nominatur, ſicut Chriſtus, (1. Joannis 5.) *Quoniam Spiritus eſt veritas.* Ita legit Sanctus Ambroſius, ubi legimus *Quoniam Chriſtus eſt veritas*. Sed (ut verum fatear) vel in mendoſos Codices incidit S. Ambroſius, in quibus hoc teſtimonium mutilum eſſet, vel ipſum memoria fefellit. Ita enim habet S. Joannes. *Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas*. Oſtendit deinde quod *Sicut Pater lumen, ita etiam Filius lumen, & Spiritus ſanctus lumen eſt. Quod utique divinæ*

potentiæ eſt. Quod *ſicut Pater vita*, *&* *Filius vita & Spiritus ſanctus vita eſt*. Quod *ſicut Pater fons vitæ eſt*, *ita & Filius*, *&* *Spiritus ſanctus*. Quod *ſicut Pater flumen*, *ita & Filius*, *ita & Spiritus ſanctus*. *Neque enim civitas Dei illa Jeruſalem meatu alicujus fluvii terreſtris alluitur*, *ſed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus ſanctus*, *cujus nos brevi ſatiamur hauſtu*, *in illis cæleſtibus Thronis*, *Dominationibus & Poteſtatibus*, *Angelis & Archangelis*, *redundantius videtur effluere*, *pleno ſeptem virtutum ſpiritalium fervens meatu*. *Si enim fluvius riparum editis ſuperfuſus exundat*, *quanto magis Spiritus omnem ſupereminens creaturam cum reliqua tamquam inferiora noſtræ mentis arcta perſtringat*, *cæleſtem illam creaturarum naturam effuſiore quadam ſanctificationis ubertate lætificat?*

IV. Ratio. Spiritus ſanctus eſt Virtus, ſicut Filius & Pater. Unum eſt Patris, & Filii, & Spiritus ſancti conſilium. Vivificat Spiritus ſanctus, ſicut Pater & Filius. *Vivificare autem quis abnuat eſſe majeſtatis æternæ?* Spiritus ſanctus Creator eſt omnium, ſicut Pater & Filius, nec quidquam niſi cum Spiritu ſancto Deus omnipotens Pater intelligitur operatus: quandoquidem & in principio creaturæ Spiritus ſuperferebatur ſuper aquam. *Si igitur creator eſt Spiritus*, *non eſt utique creatura*. *Creaturam enim Apoſtolus Creatoremque diviſit*, *dicens*, *Servierunt creaturæ potius quam creatori*. *Simul Creatori admonet ſer-*

ſerviendum, damnando eos qui ſerviunt creaturæ. Et quoniam creatorem Spiritum noverat, docet eidem ſerviendum, dicens. Nos enim ſumus Circumciſio, qui Spiritui Deo ſervimus.

V. Ratio. *Spiritus ſanctus qui creavit Dominicæ Incarnationis Sacramentum, quod ſuper omnes eſt creaturas, quomodo eſſe poteſt creatura?*

Idem urget apparitionem Spiritus ſancti ſuper Chriſtum, in ejus Baptiſmo, in Columbæ ſpecie deſcendentis: quod factum eſſe ait, *Vt per ſpeciem crederet, qui ſpiritum non videbat: & per ſpeciem declararet, unius honoris in imperio, unius operationis in myſterio, unius muneris in lavacro cum Patre & Filio ſibi eſſe conſortium.* Additque Spiritum ſanctum deſcendiſſe in ſpecie columbæ, *Vt & ſapientiæ teſtimonium fieret, & Sacramentum lavacri ſpiritalis impleret, & unius ſe cum Patre & Filio operationis oſtenderet.*

Profero octavo Sanctum Auguſtinum lib. 5. *contra Maximinum Arianum*, cap. 3. *Objicis mihi*, inquit, *quod dicam Spiritum ſanctum æqualem eſſe Filio. Dico plane. Da, inquis, teſtimonia ubi adoratur Spiritus ſanctus.... Quales homines eſtis; quam religioſæ humilitatis, qui Spiritum ſanctum adorare non vultis, cum legatis: Littera occidit, ſpiritus autem vivificat? Non vultis ergo adorare, quem vivificare animas non negatis... Sed da, inquis, teſtimonia, ubi adoratur Spiritus ſanctus, quaſi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ*

non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legiſti Patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum eſt. Quod vero aliquoties dixiſti, etiam Filio eſſe incomparabilem Patrem, nec legitur, nec verum eſt. Si autem religionem qua colitur Deus, ſicut dignum eſt, cogitares, multo plus eſſe cerneres quod habet Spiritus ſanctus templum, quam ſi eum legeres adoratum: & homines enim a Sanctis novimus adoratos. Templum vero non eſt factum ab hominibus, niſi aut vero Deo, ſicut Salomon *fecit, aut iis qui pro Diis habentur, ſicut gentes quæ ignorant Deum. Spiritus autem ſanctus (quod cum magno honore de Deo dictum eſt) non in manufactis templis habitat, ſed corpus noſtrum templum eſt Spiritus ſancti. Et ne corpora noſtra contemnas, membra ſunt Chriſti. Qualis ergo eſt Deus, cui templum, ædificatur, & a Deo, & de membris Dei?* Lege etiam Sanctum Fulgentium, lib. 3. *ad Traſamundum*, cap. 35.

Objicies primo. Spiritus ſanctus nuſquam Deus in Scripturis ſacris nominatur: nuſquam adorandus vel invocandus legitur: ergo non eſt Deus. Confirmatur. In plurimis Scripturæ locis, ubi Patris, & Filii, nonnumquam & Angelorum fit mentio, nulla fit Spiritus ſancti: ergo non eſt Deus, aut perſona a Patre, & Filio diſtincta, ſed ſola Dei ſummi energia.

Reſpondeo primo, diſtinguo antecedens. Nuſquam Deus nominatur, &c. expreſſe, ita ut

ut hujuſmodi enuntiationes *Spiritus Sanctus eſt Deus*, *Spiritus ſanctus eſt adorandus*, totidem verbis in Scriptura ſacra legantur, concedo : ita ut ex Scripturæ ſacræ teſtimoniis Spiritui ſancto tribuentibus, quæ ſoli Deo convenire poſſunt, evidenter non colligantur, nego. Reſpondeo ſecundo, dato & non conceſſo antecedente, nego conſequens. Non enim neceſſe eſt omnia fidei dogmata in Scripturis exprimi, quoniam *Ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligimus*, ut Sanctus Auguſtinus ait huic argumento a Maximino propoſito reſpondens. Sic reſpondet & Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. quæ de Spiritu ſancto : *Rurſum undenam tu voces illas tuas, ingenitum, & anarchum accepiſti, aut nos etiam immortalis vocem? Hoc nominatim & expreſſe oſtende, ac ea vel rejiciemus, quia in Scriptura non extant, vel expungemus. Nonne perſpicuum eſt, hæc de iis ſumpta eſſe ex quibus colliguntur, tametſi minime dicantur?... Quid cauſſæ eſt cur litteræ tantopere ſervias, Judaicæque ſapientiæ teipſum adjungas, relictiſque rebus, ſyllabas conſecteris?*

Sic reſpondet & Sanctus Baſilius, lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 29. *Si nihil aliud eſt receptum abſque Scripturis*, inquit, *ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra Scripturam a nobis recepta ſunt, cum aliis pluribus etiam iſtud admittamus. Arbitror autem Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis Traditionibus inhærere.*

Cur autem Spiritus ſancti Divinitas ſubobſcure ſit ſacris in Scripturis prædicata, praclare exponit Sanctus Gregorius Nazianzenus Ora. tione mox laudata. Id ut exequatur, præmittit. „ Duo Teſtamenta non repente nec „ ad primam aggreſſionis impulſionem commutata eſſe, ne vi pertraheremur, ſed „ perſuaſione adduceremur. *Deum proinde* „ Pædagogi cujuſdam & medici more, patrios ritus partim ſubtraxiſſe, partim conceſſiſſe, *ait*, nonnihil videlicet hominum „ voluptati indulgentem, quemadmodum „ Medici ægrotantibus, ut medicamentum „ ſuavioribus rebus, arte temperatum; & „ edulcatum admittant. Neque enim facile „ eſt ab iis, quæ longo uſu, & diuturno tempore in honore ac pretio fuerunt, ad alia „ tranſilire. Ergo primum ſublatis ſimulacris, „ ſacrificia permiſit. Deinde ſubmotis ſacrificiis, citcumciſionem minime prohibuit. „ Ac poſtea, ut ſemel ſibi ſubtrahi aliquid „ æquo animo tulerunt homines, jure quoque ſibi conceſſo, hoc eſt, illi ſacrificiis, „ hi circumciſione ceſſerunt, atque ut ex „ Ethnicis Judæi, ita ex Judæis Chriſtiani „ facti ſunt: per mutationes paullatim ad „ Evangelium pellecti. Hujus rei tibi fidem „ faciat Paulus, qui ex eo quod circumcidebat, ac purificabatur eo tandem progreſſus eſt ut diceret. *Ego autem Fratres, ſi* „ *circumciſionem prædico, quid adhuc perſeſecutionem patior?* Illud conſilii erat & di-

„ ſpen-

„ ſpenſationis: hoc perfectionis. Huic exem-
„ plo Divinitatis doctrina comparari poteſt,
„ niſi quod contrario modo res procedit. Illic
„ enim ex ſubtractione mutatio fiebat: hic
„ autem ex acceſſione, atque incremento
„ ad perfectionem ventum eſt. Sic enim ſe
„ res habet. Vetus Teſtamentum Patrem
„ aperte prædicabat, Filium obſcurius. No-
„ vum autem nobis Filium perſpicue oſten-
„ dit; & Spiritus Divinitatem ſubobſcure
„ quodammodo indicavit. Nunc vero Spi-
„ ritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque no-
„ bis apertius declarat. Neque enim tutum
„ erat, Patris divinitate nondum confeſſa,
„ Filium aperte prædicari: nec Filii divini-
„ tate nondum admiſſa, Spiritum ſanctum,
„ velut graviorem quamdam (ſi ita loqui fas
„ eſt) ſarcinam nobis ingeri: ne alioqui,
„ velut cibis ultra vires gravati, ac ſolis ra-
„ diis hebetes oculos adjicientes, iis quoque
„ quibus præditi eramus, viribus periclita-
„ remur: quin tacitis potius acceſſionibus,
„ & ut David loquitur, aſcenſionibus, atque
„ ex gloria in gloriam progreſſionibus & in-
„ crementis, Trinitatis lumen ſplendidius
„ illuceret. Ob hanc cauſſam ad diſcipulos
„ quoque ſigillatim ſe confert, ad excipien-
„ tium videlicet captum, modulumque ſeſe
„ impartiens, nimirum in Evangelii princi-
„ pio virtutes perficiens, poſt Chriſti paſſio-
„ nem inſufflatus, poſt Aſcenſum in igneis
„ linguis apparens. Quin etiam ab ipſo Jeſu
„ paul-

„ paullatim declaratur. Rogabo Patrem, „ inquit, & alium Paraclitum mittet vobis, „ Spiritum veritatis. Quæ quidem verba eo „ dixit, ne adverſarius quiſpiam Dei eſſe, „ aut quaſi ab alia quadam poteſtate ſermo„ nem facere videretur. Poſtea, Mittet qui„ dem, ceterum, in nomine meo. Hic omiſ„ ſo rogandi verbo, mittendi verbum reti„ nuit. Mox, Mittat: ut propriam auctori„ tatem oſtendat. Tum denique, Veniet: „ quo verbo Spiritus poteſtas indicatur.

Addit Sanctus Gregorius Nazianzenus. „ Habebat quædam Salvator, quæ a Diſci„ pulis, licet alioqui multiplici doctrina im„ plerentur, tunc tamen portari poſſe nega„ bat. Ac rurſus dicebat fore ut ab adve„ niente Spiritu omnia edocerentur. Ego „ unum ex eorum numero eſſe cenſeo ipſam „ Spiritus ſancti Deitatem in poſterum aper„ tius declarandam, tum videlicet, cum, „ poſt Salvatoris in integrum reſtitutionem, „ matura, & perceptibilis eſſet ipſius cogni„ tio, utpote cui, ob tam inſigne miraculum, „ fides non jam abrogaretur. Quid enim hoc „ majus vel ille polliceri, vel hic dicere „ potuiſſet; ſi modo magnum aliquid exiſti„ mandum eſt, Deique magnificentia di„ gnum, quod promittebatur, vel doce„ batur?

Ad confirmationem reſpondeo, nego conſequens. Non enim neceſſe eſt ut dum unius aut alterius Perſonæ fit mentio, omnium fiat.

Sa-

Satis eſt ad confitendum Spiritus ſancti Divinitatem; ibi eum ad duas alias adjungi Perſonas, ubi nullum creaturæ conſortium admitti poteſt, nempe in forma Baptiſmi. Adde, Scripturam ſacram, cum de ipſa formula Baptiſmi loquitur, ſæpe unius dumtaxat Perſonæ nominatim meminiſſe: *Quicumque* (inquit) *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: nec propterea in ſolius Chriſti nomine baptizati fuerunt Galatæ. Sic qui baptizati *in nomine Domini Jeſu*, paſſim in Actis Apoſtolorum dicuntur, in Patris etiam & Spiritus ſancti nomine baptizati intelligendi ſunt. Ad hæc: multis in Scripturæ locis prædicatur Sancti ſpiritus poteſtas, in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil expreſſit, ſed intelligendum reliquit, *Numquid ergo cum gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut unigeniti Filii denegatur? Non ita: quia ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre, ita etiam diffuſa eſt charitas Dei in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Et ſicut qui benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quia unum nomen, poteſtas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus deſignatur, non ſolum ad ſanctum Spiritum, ſed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec ſolum ad Patrem ſed etiam ad Filium refertur & Spiritum*. Ita Sanctus Ambroſius. Sicut ergo cum ait Apoſtolus, *Omnes in uno Spiritu baptizatos eſſe*, non excludit Patrem & Filium, quia una eſt trium

trium Perſonarum operatio; ita cum dicit, *Ex Patre omnia, & per Filium omnia*, Spiritum ſanctum non excludit, ob eamdem rationem.

Objicies ſecundo. Qui non loquitur a ſemetipſo, ſed audit quid loqui debeat, inſtar Legati qui ab alio inſtruitur, & qui ab alio accipit, non eſt verus, & ſummus Deus; ſed Spiritus ſanctus, non loquitur a ſemetipſo, ſed audit quid loqui debeat, inſtar Legati qui ab alio inſtruitur, & ab alio accipit, ſcilicet a Filio; ergo Spiritus ſanctus non eſt verus & ſummus Deus.

Probatur minor ex verbis Chriſti, Joan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Reſpondeo, nego minorem. Non enim iſtius loci ſenſus eſt quod Spiritus ſanctus ea tantum loqui poſſit, quæ audit, inſtar Legati qui ab alio mittitur & docetur; ſed quod ſcientiam non habeat a ſeipſo, ſicut nec eſſentiam, ſed a Patre & Filio, a quibus procedit. Spiritum igitur ſanctum audire vel diſcere a Patre & Filio, nihil aliud eſt quam procedere. Ab eo autem accipit ut a principio, non ut a cauſſa: quæ cum unius veri ſummique Dei notione non pugnant. Audire præſtat duo Eccleſiæ lumina SS. Ambroſium & Au-

& Auguſtinum hoc teſtimonium exponentes. Præibit Ambroſius, lib. de Spiritu ſancto, cap. 12. *Vbi*, inquit, *oſtenſio Spiritus, ibi Dei virtus: nec poteſt eſſe diſcretio, ubi opus unum eſt, & ideo quod loquitur Filius, loquitur & Pater, & quod Pater loquitur, loquitur & Filius, & quod loquitur Pater & Filius, loquitur & Spiritus ſanctus. Vnde & de Spiritu Filius Dei dicit. Non enim loquitur a ſe, hoc eſt, non ſine mea, & Patris communione. Neque enim diviſus ac ſeparatus eſt Spiritus, ſed quæ audit loquitur: audit videlicet per unitatem ſubſtantiæ, & per proprietatem ſcientiæ. Neque enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditum, & quibuſdam divina modulis carnalibus vox reſultat, vel audit id quod ignorat; quoniam in rebus humanis ſcientiam plerumque auditus operatur: & tamen nec in ipſis hominibus ſemper alloquium corporale, aut carnalis auditus eſt. Qui enim loquitur linguis, non hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit. Spiritu autem loquitur myſteria*, inquit Apoſtolus 1. ad Corint. 14.... *Quid eſt ergo, Non enim a ſe loquitur? Hoc eſt, non ſine me loquitur, qui loquitur veritatem, ſapientiam aſpirat. Non ſine Patre loquitur, quia Dei Spiritus eſt. Non a ſe audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit a Patre Filius, quia ipſe dixit. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait. Omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Et quæ accipit ipſe per unitatem-*

tem naturæ ex ipſo per eamdem unitatem accipit & Spiritus, ſicut ipſe Dominus Jeſus declarat de Spiritu ſuo dicens, Propterea dixi: De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod ergo loquitur Spiritus, Filii eſt: quod dedit Filius, Patris eſt. Ita nihil a ſe aut Filius loquitur, aut Spiritus, quia nihil extra ſe Trinitas loquitur.

Sanctus vero Auguſtinus, *Tractatu* 99. *in Joannem* ſic locum illum exponit. *Non ergo loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire, illi ſcire eſt: ſcire vero, eſſe. Quia ergo non ex ſemetipſo, ſed ab illo a quo procedit, a quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quam ſcientia.*

Objicies tertio. Qui ſcrutatur profunda Dei, non eſt verus ſummuſque Deus. Nemo enim dicitur ſcrutari ea, quorum clariſſima & perfectiſſima notitia ipſi primo ineſt, & quæ ab ipſomet primo conſtituta ſunt & decreta. Atqui Spiritus ſanctus ſcrutatur profunda Dei: ergo non eſt verus ſummuſque Deus. Probatur minor ex Apoſt. 1. Cor. 2. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Si ſcrutari proprie ſumatur, prout inquiſitionem ſignificat eorum quæ occulta ſunt, & ignota, concedo: ſi ſumatur, tropice, prout idem eſt

eſt ac perfecte noſſe, non obſcure, & quaſi perfunctorie, nego. Hoc autem ſecundo modo Spiritus ſanctus dicitur ſcrutari profunda Dei. Sic Deus cui cordium noſtrorum omnino explorata ſunt arcana, *Renes & corda ſcrutari* dicitur. Sed præſtat audire Sanctum Ambroſium lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. hunc locum interpretatione ſua illuſtrantem, cujus verba ſuperius dedimus. *Similiter ergo ſcrutator eſt Spiritus ſanctus ut Pater, ſimiliter ſcrutator ut Filius, cujus proprietate ſermonis id exprimitur, ut videatur nihil eſſe quod neſciat, quem nihil præterit.*

Objicitur quarto Veterum ſilentium, qui Spiritum ſanctum Deum appellandum eſſe non dixerunt. Neque enim Sanctus Hilarius in duodecim *de Trinitate* libris ipſum diſerte Deum nominavit, quod obſervavit Eraſmus Præfatione in Hilarium; & Sanctus Baſilius œconomia & diſpenſatione quadam Dei nomen ſuppreſſit, cum de Spiritu ſancto loqueretur, quod non feciſſet, ſi dogma Fidei exiſtimaſſet aſſertionem Divinitatis Spiritus ſancti. Hanc autem Magni Baſilii œconomiam laudat Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 20. *Sed tamen,* inquit, *propriam & apertam vocem interim uſurpare differebat, tum ab ipſo Spiritu, tum ab aliis etiam ſinceris ipſius propugnatoribus gratiam petens, ac rogans ne hoc ſuo conſilio offenderentur: nec ommitterent, ut dum unam voculam mordicus re-*

retinere conaretur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, convulſa nimirum turbulentiſſimo tempore, ac diſtracta pietate. Ipſos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, ſi dictiones paullulum immutentur, modo aliis verbis eadem doceantur; neque enim ſalutem noſtram in ſermone magis quam in rebus conſiſtere: quippe cum ne Judæi quidem rejiciendi ſint, ſi ad aliquod tempus, pro Chriſto vocem Uncti ſibi concedi poſtulantes, religioni noſtræ aſſentiri vellent. At Reipublicæ non poſſe majorem peſtem ac perniciem afferri, quam ſi ab Hæreticis occuparetur Eccleſia.

Reſpondeo, SS. Hilarium, Baſilium, & quoſdam alios Veterum, quamvis Spiritum ſanctum nominatim Deum non appellaverint, Deum tamen, & credidiſſe, dum ea ipſi tribuerunt, quæ veri ſummique Dei propria ſunt & in creaturam non cadunt: nam Sanctus Hilarius ipſum non eſſe creaturam conſtanter affirmat, *lib. 12. de Trinitate* ubi ſic Deum Patrem compellat: *Magna mihi erga res tuas religio eſt: neque quia te ſolum innaſcibilem, & unigenitum ex te natum ſciens, genitum tamen Spiritum ſanctum non dicturus ſim, dicam umquam creatum. Hujus ego dicti, quod mihi cum ceteris a te ſubſtitutis commune eſt, ad te quoque prorepentis timeo contumeliam. Profunda tua Spiritus ſanctus tuus, ſecundum Apoſtolum, ſcrutatur, & novit: & interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur: & ego naturæ ſuæ ex te per Unigenitum tuum manantis,*

tis, potentiam creationis nomine non modo non eloquar, ſed etiam infamabo? Nulla te niſi res tua penetrat: nec profundum immenſæ majeſtatis tuæ, peregrinæ, atque alienæ a te virtutis cauſſa metitur. Tuum eſt quidquid te init; neque alienum a te eſt, quidquid virtutis ineſt. Spiritum ſanctum igitur creaturam eſſe diſerte negavit Sanctus Hilarius; ſed & ipſum expreſſe Deum aſſeruit *Commentar. in Matth.* enarrans illa verba. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Sub hac autem formula verborum eos baptizandos juberi, ait Sactus Hilarius, *Ut quorum eſt una Divinitas, ſit una largitio, nomenque Trinitatis unus eſt Deus.*

S. vero Baſilius Divinitatem Spiritus ſancti propugnavit acerrime, ut ex probationibus compertum eſt, nec prudens ipſius œconomia Catholico ullatenus officit dogmati, quia idem erat Spiritum ſanctum negare creaturam, ac Deum aſſerere; nec vocibus, ſed rebus noſtra Religio Fideſque adſtringitur. Unde nec centum quinquaginta ſecundæ Synodi œcumenicæ Patres, in Fidei Symbolo, Deum Spiritum ſanctum appellarunt. Sicut ergo Catholici habiti ſunt, qui Filium ex Patris ſubſtantia genitum profitebantur, quamvis ὁμοούσιον Patri dicere renuerunt, & ὁμοιούσιον dumtaxat prædicarent, quia rem eamdem hoc vocabulo ſignificabant, quam alii voce ὁμοούσιον: ita S. Baſilius Spiritum ſanctum Deum

Deum interdum non appellans, ſed tamen creatum negans, Divinitatis illius conſtans & perpetuus aſſertor nihilo ſecius putandus eſt. Sed & Patres Baſilio & Hilario antiquiores eidem Catholico ſuffragati ſunt dogmati, nimirum S. Dionyſius Alexandrinus in reſponſione ad Propoſitionē Pauli Samoſateni, dicens: *Non impune feret is, qui adverſus benignum Spiritum ſanctum blaſphemus eſt. Spiritus autem eſt Deus.* Et in Epiſtola ad eumdem Hæreſiarcham: *Niſi enim eſſet Chriſtus Deus Verbum, non potuiſſet non eſſe peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius eſt peccato, niſi unus Chriſtus ut & Pater Chriſti, & ſanctus Spiritus.*

Et ante Sanctum Dionyſium Alexandrinum Sanctus Iræneus, lib 5. adverſus Hæreſes, cap. 6. ait, *Per manum Patris, id eſt, per Filium, & Spiritum ſanctum, factum eſſe hominem ſecundum ſimilitudinem Dei.* Et c.12. diſtinguens Spiritum ſanctum ab afflatu illo, quo Adamus animatus eſt, ait; *Afflatus temporalis, Spiritus autem ſempiternus.*

Objicies quinto. Gemitus & oratio Deo non conveniunt: atqui gemitus & oratio conveniunt Spiritui ſancto: ergo Spiritus ſanctus non eſt Deus.

Probatur minor ex Apoſtolo ad Romanos 8. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia*

quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis.

Reſpondeo, nego minorem. Ad ejus probationem reſpondeo, nonnullos Veterum, præeunte Sancto Chryſoſtomo, hunc locum interpretari vel de Spiritu hominis, quatenus gratiam orationis a Spiritu ſancto accepit; vel de ipſo orationis dono, quod hominibus a ſancto Spiritu infuſum eſt. Nam Spiritus ſancti dona in Scripturis ſacris Spiritus ſancti nomine ſignificari ſolemne eſt. Unde & Spiritum precum legimus, *Zachar.* 12. *cap.* Hunc itaque locum exponunt de dono orationis, quo in primitiva Eccleſia quidam inſtructi, pro univerſo populo, qui alioqui ſæpe per ignorantiam inutilia poſtularet, precabantur; quorum in locum poſtea Diaconus pro populo ſupplicans ſucceſſerit. His conſonat S. Ambroſius, qui *lib*: 3. *de Spiritu ſancto cap.* 12. Spiritum hic interpretatur gratiam ſpiritalem.

At eos ſequendo Patres, qui hunc locum Apoſtoli de ipſa ſancti Spiritus Perſona exponunt, reſpondeo, ipſum dici pro nobis poſtulare, & ingemiſcere, quod efficaci ſua in nobis operatione nos orantes faciat, noſque doceat orare & gemere. Ita exponit Origegenes: *Ubi*, inquit, *viderit Spiritus Dei laborantem ſpiritum in adverſando carni, & adhærendo ſibi, porrigit manum, & adjuvat infirmitatem ejus: & velut ſi Magiſter ſuſcipiens ad rudimenta Diſcipulum, & ignorantem penitus litteras, ut eum docere poſſit, & inſtituere, neceſſe habet inclinare ſe ad Diſcipuli ru-*

rudimenta, & ipſe prius dicere nomen litteræ, ut reſpondendo Diſcipulus diſcat, & ſit quodammodo Magiſter incipienti Diſcipulo ſimilis, ea loquens, & ea meditans, quæ incipiens loqui debeat, ac meditari: Ita & ſanctus Spiritus, *ubi oppugnationibus carnis perturbari noſtrum ſpiritum viderit, & neſcientem quid orare debeat ſecundum quod oportet, ipſe velut Magiſter orationem præmittit, quam noſter ſpiritus, ſi tamen Diſcipulus eſſe ſancti Spiritus deſiderat, proſequatur; ipſe gemitus offert, quibus noſter ſpiritus diſcat ingemiſcere, ut repropitiet ſibi Deum.* Si *vero Spiritus quidem doceat, & noſter ſpiritus, id eſt, mens noſtra non ſequatur, ſuo vitio infructuoſa ei ſit Magiſtri doctrina.... Quod autem dicit, Quia* Spiritus *interpellat, hoc eſt, quod edocet non minimam diſpenſationem per Spiritum ſanctum in hominibus geri.*

Sic etiam exponit Sanctus Auguſtinus, Epiſtola 121. *Dictum eſt,* inquit, *Interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, ſicut dictum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum, hoc eſt, ut ſcire vos faciat. Interpellare itaque Sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inſpirans eis deſiderium etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam expectamus. Quomodo enim narratur, quando deſideratur quod ignoratur? Nam utique ſi omni modo ignoraretur, non deſideraretur: & rurſus ſi videretur, non deſideraretur, nec gemitibus quæreretur.*

Ob-

Objicies. Si poſtulat Spiritus ſanctus pro nobis, quia poſtulare nos facit: igitur & Pater pro nobis poſtulat, ſiquidem & ille poſtulare nos facit. Atqui ut Pater pro nobis poſtulare dicatur, piæ aures non ſuſtinent: igitur Spiritus ſanctus non eo dumtaxat ſenſu poſtulare dicitur pro nobis, quod poſtulare nos faciat.

Reſpondeo, nego conſecutionem majoris Sicut enim Pater non dicitur mitti (licet ea operatio ad quam Perſona aliqua divina mittitur, exempli gratia ſanctificatio hominis, ſit toti Trinitati communis) propterea quod neceſſe ſit Perſonam quæ mittitur, a mittente procedere, a qua videlicet cum operatione ſimul accipit & naturam: Ita de hac poſtulatione dicendum, quæ quamvis ſignificet effectum in omnibus, quem etiam Pater, immo tota Trinitas operatur, non tamen tota Trinitas poſtulare recte dicitur: ſed ea tantum Perſona, quæ accipit ab alia ut faciat homines poſtulantes. Etenim ut mitti, ſic & poſtulare, reſpicit alterum, a quo vel recipitur aliquid, vel expectatur; quod Patri convenire non poteſt. Ita hunc nodum ſolvit doctiſſimus Eſtius Commentario in hunc locum Apoſtoli.

Objicitur ſexto. Si Spiritus ſanctus eſt Deus, aut ingenitus eſt, aut genitus. Si ingenitus, ergo duo erunt principii expertes. Si autem genitus, aut ex Patre genitus eſt, aut Filio. Si ex Patre, duo igitur ſunt Filii, ac fratres: ſi ex Filio, jam Deum nepotem habebimus.

Reſpondeo, nego conſecutionem majoris. Medium quiddam enim datur inter ingenitum eſſe, & genitum, ſcilicet procedere, quod ſancti Spiritus proprium eſt. Ita reſpondet Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. „ Quoniam, *inquit*, diviſionem tuam „ primam, qua inter ingenitum & genitum „ nihil medium eſſe arbitraris haudquaquam „ admittimus, protinus tibi cum præclara „ tua diviſione fratres illi & nepotes peribunt. „ Ubi enim, quæſo, pones id quod procedit, „ quod quidem inter duas diviſionis tuæ par„ tes interjectum eſſe conſtat, atque a Theo„ logo multo te præſtantiori, nimirum a Chri„ ſto, introducitur? Niſi fortaſſe vocem il„ lam, propter tertium tuum Teſtamentum, „ ex Evangeliis ſuſtuliſti, Spiritus ſanctus qui „ a Patre procedit. Qui, quatenus ab illo „ procedit, creatura non eſt: quatenus rur„ ſus genitus non eſt, Filius non eſt: qua„ tenus autem inter ingenitum & genitum „ medius eſt, Deus eſt. Quæ eſt ergo hæc „ Proceſſio? (inquies) Dic tu, quæ Patris „ ingenitura ſit, & ego Filii generationem, „ & Spiritus proceſſionem explicare aggre„ diar, ut ambo mentis veſania præcipites „ agamur, in Dei myſteria oculos injicientes: „ idque qui tandem? Nempe qui ne ea qui„ dem, quæ ante pedes ſunt, ſcire, nec „ arenam maris, aut pluviæ guttas, & dies „ ſæculi enumerare poſſumus, nedum in Dei „ profunda penetrare, naturæque adeo arca-

„ næ

„ næ atque omnem orationis facultatem ſu-
„ perantis rationes reddere. Quid ergo eſt,
„ inquiunt, quod Spiritui deeſt ad hoc ut ſit
„ Filius? Niſi enim aliquid deeſſet, Filius
„ eſſet. Deeſſe nihil dicimus. Non enim
„ Deo quidquam deeſt. Verum manifeſta-
„ ſtionis, ut ita dicam, mutuæque eorum
„ relationis differentia, diverſa quoque ipſis
„ nomina procreavit.

DISSERTATIO

ADVERSUS PHOTIUM, ALIOSQUE GRÆCOS SCHISMATICOS

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO.

ASSERTIO I.

Errorem Photii, aliorumque Schiſmaticorum Græcorum, negantium Spiritum ſanctum a Filio procedere, Scriptura ſacra, Patres Græci, & Latini, ab utraque Eccleſia in Conciliis recepti, refellunt, nec valida ratione propugnatur ulla.

PRima pars probatur ex verbis Chriſti Joannis XVI. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo: ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia*

nia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Et antea de eodem Spiritu dixerat: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Perſona divina quæ mittitur ab alia, & ab ea accipit, ab ipſa certe procedit: cum divinarum perſonarum miſſiones non ſint ſecundum imperium, aut ſecundum conſilium, ſed ſecundum originem intelligendæ. Præterea ex eo probat Chriſtus Spiritum ſanctum ab ipſo accipere, quia omnia quæ habet Pater, ſua ſunt: nihil ergo excipiendum, niſi id quo Pater eſt. Virtus itaque ſpirativa Spiritus ſancti communis eſt Filio cum Patre. Ideo dicitur *Spiritus veritatis*, id eſt Filii. Et ab Apoſtolo ad Romanos 8. ad Galatas 4. *Spiritus Filii* vocatur; congrue omnino, ſiquidem Chriſtus illum eſſe ſuum, & a ſe procedere, ſicut ſpiritus hominis ex ore ipſius procedit, proportione ſervata, diſerte ſignificavit *Joannis XX.* inſufflans & dicens Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctum*. Et quamvis cum a Patre procedere doceat, non tamen a ſolo Patre; immo *Joannis XV.* a ſe pariter procedere docet verbis æquivalentibus, cum eum ſe miſſurum Apoſtolis a Patre pollicetur: *Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Perperam itaque loco illo Scripturæ Sacræ & Chriſti verbis Græcorum Schiſmaticorum pa-

rens *Photius* in Epiſtola ſua Encyclica & in Epiſtola ad Aquilejenſem Patriarcham abutitur. Denique Spiritus ſanctus accipit a Filio, non aliquid creatum, ut nos accipimus, ſed divinum eſſe; cum nihil aliud poſſit accipere a Filio in Trinitate Sanctiſſima. Nam omne quod accepit, & accipit, & accipiet, id æternaliter habet. Et quod Filius a Patre audit, idem eſt quod ſcientia: Scientia vero in divinis idem eſt quod eſſe: & audire a Patre, juxta expoſitionem Græcorum ac Latinorum Patrum, eſt accipere eſſentiam & ſcientiam a Patre: atque ita Spiritus audiens accipit a Filio, & auditio ſcientia eſt, & eſſe & divina eſſentia, quæ omnia Spiritus a Filio accipit.

Probatur ſecunda pars teſtimoniis Patrum Grecorum, quos inter primus in aciem prodit contra Græcos Schiſmaticos *S. Athanaſius* in lib. *de humana natura ſuſcepta*, ubi pluribus e Scriptura ſacra locis allatis in quibus Deus fonti, Spiritus ſanctus aquæ comparatur, ut Joannis IV. *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Et cap. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Et Pſalmo 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*; Ex iis ita colligit. *Noverat enim* (David) *apud Patrem Filium eſſe fontem Spiritus ſancti*. Et in Epiſtola ad Sera-

Serapionem: *Ergo*, inquit, *non ex creatarum rerum genere eſt Spiritus ſanctus; ac demonſtratum eſt magis proprium ipſum eſſe Filii, neque alienum a Deo... Quod ſi Filius, quoniam ex Deo eſt, proprius eſt ſubſtantiæ ipſius, neceſſe eſt & Spiritum qui ex Deo dicitur, proprium eſſe Filii ſecundum ſubſtantiam*. Et Oratione 4. adveſus Arianos: *Non enim* (inquit) *& Filius particeps eſt Spiritus, ut propterea ſit in Patre: neque accipit Spiritum: quin potius hunc omnibus largitur. Neque vero Spiritus Verbum cum Patre copulat, ſed potius* Spiritus *a Verbo accipit... Ipſe enim, ut dictum eſt, Spiritum dat; & quæcumque habet Spiritus, hæc habet a Verbo.*

II. S. *Baſilius* lib. III. contra Eunomium. *Quid enim*, inquit, *neceſſe eſt, ſi dignitate & ordine tertius eſt Spiritus, tertium ipſum eſſe natura? Nam dignitate ſecundum eſſe a Filio, ut qui ab illo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex illa cauſſa pendeat, pietatis ſermo tradit; verum tertiam uſurpare naturam, neque a ſacris Litteris edocti ſumus; neque ex ſupradictis conſequenter poteſt colligi. Nam ut Filius ordine quidem eſt ſecundus a Patre, quoniam ab eo eſt; & dignitate, quoniam principium & cauſſa exiſtendi ipſi Pater eſt; tum quod per ipſum acceſſus eſt & introductio ad Deum & Patrem: natura vero non eſt ſecundus, quia una eſt in utroque divinitas: Eodem modo Spiritus ſanctus, & etſi poſterior Filio eſt ordine ac digni-*

gnitate. *Non tamen perinde id, tamquam alienæ naturæ ſit, habebit*. De iſto S. *Baſilii* loco inter Marcum Epheſinum, & *Joannem* Doctorem Teologum & Provincialem Lombardiæ Ordinis FF. Prædicatorum, qui Latinæ Eccleſiæ quaſi ingenium & os erat in Synodo Florentina, Seſſionibus 20. 21. & 22. ejuſdem Synodi acerrime diſputatum eſt. *Marcus Epheſinus* mendoſos ac interpolatos Codices aſſerebat, ex quibus *Joannes* noſter hunc locum depromebat, & ejuſmodi quatuor vel quinque Codices Conſtantinopolitani reperiri, ſed alios ibidem extare ſinceros amplius mille, qui illum exhiberent, prout a Græcis legebatur. Reſpondit *Joannes*, primo Codicem illum, quo uſus eſt, antiquiſſimum eſſe, optimæque notæ; ut qui ante ſexcentos annos, quam Florentina celebraretur Synodus, ſcriptus eſſet, in membranis, non in chartis, & a *Nicolao Cuſano* Cardinali Conſtantinopoli advectus. Secundo, hance clauſulam, *Tradit fortaſſe pietatis ſermo*, non eſſe Baſilii, ſed particulam *fortaſſe*, in ejus textum eſſe intruſam demonſtrat hac ratione. Semper id per quod demonſtratur aliquid, eſſe debet notius eo, quod demonſtratur. In iſto autem Cap. S. *Baſilius* conſequentiam *Eunomii* refellendam ſibi ſumit hoc pacto: Etſi tertius eſt dignitate Spiritus ſanctus, ut ex Scripturis Sacris *Eunomius* habebat, non ſequitur tamen ut natura quoque ſit tertius. Et toto Capite ex Scripturis colligit Angelorum quoſ-

quoſdam eſſe primos, alios ſecundos, alios tertios dignitate & ordine, ſed non ſequi natura tertios eſſe. Si ergo dixiſſet. *Tradit fortaſſe pietatis ſermo, &c.* dubitaſſet de eo quod velut fundamentum ponebat ad confutandum *Eunomium*. Præterea de S. Baſilio dixit Chalcedonenſis Synodus. *Iſte doctrinam magis exactam tradidit*. At accuratiſſimam non tradidiſſet doctrinam, ſi loquendo de Perſona Spiritus ſancti & ejus origine, dixiſſet. *Tradit fortaſſe pietatis ſermo, &c.* Tertio, quia *S. Baſilius* in Homilia *de Spiritu ſancto*, quam ex venerandæ vetuſtatis Codice a *Leonardo Aretino* prolato *Joannes* idem Provincialis FF. Prædicatorum laudavit, hæc habet. *Unum quidem Patrem, unum vero Filium, unum quoque Spiritum ſanctum, juxta divinam traditionem fateri oportet*. Deinde ſubdit: *Neque duos Patres dicendum, neque duos Filios: quandoquidem Spiritus nec eſt, nec nominatur Filius. Neque enim a Spiritu accipimus aliqua, quomodo a Filio Spiritus, ſed eo ad nos veniente & ſanctificante, ſuſcipimus divinitatis communionem, & filiationis communicatam poſſeſſionem, æternæque hereditatis arrhabonem, bonorumque primitias æternorum. Hæc ſunt quæ accipimus a Spiritu, & quæ in nobis creata ſunt & cauſſata a Spiritu ſancto*. S. Baſilius ait, non eo modo Spiritum accipere a Filio, quo nos a Spiritu accipimus. Divinum eſt igitur quod Spiritus a Filio accipit. Nam quidquid eſt, aut divinum, aut crea-

tum eſt: hoc nos a Spiritu ſancto accipimus. Spiritus vero ſanctus non eo modo, neque creata hæc accipit; ſequitur ergo ut accipiat quod divinum eſt. Cum itaque tam diſerte aſſerat S. *Baſilius* in iſta Homilia Spiritum ſanctum accipere a Filio, veriſimile non eſt quod alibi ſcripſerit hoc ipſo de argumento loquens *Tradit fortaſſe pietatis ſermo, &c.* Quarto, ſecunda vel tertia perſona non dicitur in divinis, niſi ab alia procedat. Igitur S. *Baſilius* hoc ipſo Spiritum ſanctum a Filio procedere ſignificavit, quo tertium dixit ordine & dignitate.

Hunc eumdem *S. Baſilii* locum profert contra Græcos *Manuel Calecas* Ordinis FF. Prædicatorum, & ipſe Natione Grecus lib. 1. & de eo ſubdit. *Hoc autem ſi quis non eſſe Baſilii contendat, adjectumque Exemplaribus dicat, penitus delirat. Quippe in vetuſtiſſimis Codicibus ita ſcriptum invenitur: quos quidem Codices pro antiquitate ſua, antequam Schiſma oriretur, conſcriptos eſſe, nullus ambigere omnino poſſit: quorum obliterati nonnulli cernuntur: quibuſdam hoc illius Viri dictum quaſi adulteratum ſuſcipere nolentibus, ac ferro contra mutos apices impie utentibus.*

Certe autem ſi tertium a Patre eſſe Spiritum ſanctum atque a Filio ſecundum, & a Doctoribus ceteris, & a Magno Baſilio accepimus: id autem numquam ita eſſet, niſi tertius eſſet ex primo per medium, hoc eſt, ex Patre per Filium procederet; quomodo id quod præmiſi-

miſimus, non omni veritate fulcitur? Videlicet propter ſubſtantiales proceſſus perſonarum ad invicem apparere ordinem? Quomodo item non idem eſt, & per Filium procedere, quod dicitur, & a Filio eſſe habere, juxta S. Baſilium: quod etiam cauſſam eſſe poſuit, ut a Filio ſecundus ſit? Quomodo autem & eſſe, & procedere non idem intelligatur, ſi quidem, quod cauſſam eſſe conſtat ut a Filio Spiritus ſecundus ſit, quod per Filium ſcilicet procedit; pro hoc ille cum a Filio eſſe habere dicere maluit? Quomodo item per Filium & a Filio æquabiliter ponens, non aperte ſignificat, ex & per *tantumdem in divinis valere?... Ex his igitur, quod dicitur a Filio eſſe habere, conſtat Sancti viri textum eſſe. Quin immo & ex his quæ calumniatores improbi in hac clauſula contra Magiſtri fidem: & veritatem addunt, manifeſte quidem Sancti ſenſus elucet; ipſi vero per omnia malignitatis arguuntur, ut eorumdem ſit pro voluntate & delere, & adjicere. Nam præter id quod in vetuſtiſſimis exemplaribus inferendam protinus malignitatem, & poſitione, & forma litterarum, poſtmodum adjectam eſſe, manifeſte apparet, ait in ſubſequentibus Sanctus: Ut enim Filius ordine quidem ſecundus a Patre eſt, quoniam ab ipſo eſt: & dignitate, quoniam initium illi & cauſſa ut ſit, Pater eſt, & quia per ipſum acceſſus & adductio ad Deum & Patrem nobis eſt, natura vero jam non ſecundus: Divinitas enim in utroque una: ita videlicet & Spiritus ſanctus,*

ctus, etſi Filio concedit ordine & dignitate; non jam tamen quaſi alienæ naturæ exiſtens. Ubi ergo ait; Etſi concedit Filio ordine & dignitate. *addiderunt*. Omnino & concedemus. *Ubi vero ait*; Tradit pietatis ratio: *ipſi cum hac adjectione legunt & dicunt*. Tradit fortaſſe pietatis ratio.

III. *S. Gregorius Nyſſenus lib.* 1. *contra Eunomium*, pag. 164. eidem Catholico dogmati ſuffragatur: *Porro*, inquit, *idem nobis & de Spiritu ſancto dicendum eſt; cujus in ſolo ordine differentia coſtituta eſt. Nam ut Patri conjunctus eſt Filius, & cum eo illo eſſe habeat, non tamen poſterius exiſtit: ſic etiam Spiritus ſanctus proxime hæret Filio, qui ſola cogitatione ſecundum rationem principii, prius conſideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita quæ ſæculum omne præcedit, locum non habent: adeo ut detracta principii ratione, nulla re Sancta Trinitas a ſe ipſa diſſideat*. Docet *S. Gregorius Nyſſenus* 1. Spiritum ſanctum ab aliis duabus perſonis ſolo ordine differre; at hujuſmodi ordo non alius eſt quam originis & proceſſionis. Quemadmodum cum Patre conjunctus eſt Filius, ita ut licet eſſe ab illo habebat, non tamen poſterius exiſtat. 2. ſic cum Unigenito hærere Spiritum ſanctum. 3. Ratione principii priorem conſiderari Filium, quam Spiritum ſanctum. 4. ſublata ratione principii, nullam eſſe in Trinitate differentiam. Quam doctrinam & in Epiſtola ad *Ablavium* luculenter confirmat.

IV. S. *Epi-*

IV. S. *Epiphanius*, in *Anachorato*, Num. 8. diſerte eamdem veritatem docet. *Spiritus Dei*, inquit, *& Spiritus Patris*, *& Spiritus Filii*, *non compoſitione aliqua*, *quemadmodum in nobis anima & corpus*, *ſed inter Patrem Filiumque medius*, *ex Patre*, *& Filio appellatione tertius*. Et Num. 67. *Jam vero cum Chriſtus ex Patre credatur Deus ex Deo*, *& Spiritus ex Chriſto*, *ſive ab ambobus*; *ut Chriſtus his verbis aſſerit*: Qui a Patre procedit: *Et*, Hic de meo accipiet. Et Num. 71. *Tu quis es qui contradicas Deo? Nam ſi Filium vocat eum qui ab ipſo*, *Spiritum vero ſanctum*, *qui ab ambobus &c.* Et Num. 72. *Igitur ſi a Patre procedit*, *& de meo*, *ut ait Dominus*, *accipiet*, *quemadmodum nemo novit Patrem*, *niſi Filius*, *neque Filium*, *niſi Pater*; *ita dicere audeo*: *Neque Spiritum niſi Pater*, *& Filius*, *a quo procedit*, *& a quo accipit*: *& neque Filium ac Patrem*, *niſi Spiritus ſanctus*, *qui vere glorificat*, *qui docet omnia*, *qui teſtatur de Filio*, *qui a Patre*, *& ex Filio*. Et Hæreſi 62. quæ eſt Sabellianorum: *Non alienus eſt a Patre & Filio*; *ſed ex eadem ſubſtantia*, *ex eadem divinitate*, *ex Patre & Filio*, *cum Patre & Filio ſubſiſtens ſemper Spiritus ſanctus*.

V. *Didymus* lib. 2. *De Spiritu ſancto*, exponens illa verba Chriſti. *Non enim loquetur a ſemetipſo*, ita ſcribit. *Hoc eſt*, *non ſine me*, *& Patris arbitrio*: *quia inſeparabilis a mea & Patris eſt voluntate*. *Quia non ex ſe*, *ſed ex Patre & me eſt*. *Hoc enim ipſum*, *quod ſubſiſtit*,

ſiſt, a Patre, & me, illi eſt .... Spiritus quoque ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, Spirituſque Sapientiæ, non poteſt Filio loquente audire quæ neſcit; cum hoc ipſum ſit, quod profertur a Filio, id eſt, procedens a veritate, conſolator manans de conſolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens. Et infra, ubi protulit Chriſti verba ex Joannis 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Subdit. *Rurſum hic accipere, ut divinæ naturæ conveniat, intelligendum. Quomodo ergo Filius dans non privatur his quæ tribuit, neque cum damno ſuo impertit aliis: ſic & Spiritus non accipit quod ante non habuit. Si enim quod prius non habebat, accepit, translato in alium munere, vacuus largitor effectus eſt, ceſſans habere quod tribuit. Quomodo igitur ſupra de naturis incorporalibus diſputantes intelleximus, ſicut & nunc Spiritum ſanctum a Filio accipere id quod ſuæ naturæ fuerat, cognoſcendum eſt: & non dantem, & accipientem, ſed unam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadem a Patre accipere ducitur, quibus ipſe ſubſiſtit. Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis his quæ ei dantur a Patre: neque alia ſubſtantia eſt Spiritus ſancti, præter id quod datur ei a Filio*.

VI. S. *Cyrillus Alexandrinus* paſſim idem dogma confirmat. In lib. *De Recta fide* ad Reginas, *Vivificatio*, inquit, *attribuenda eſt & jure quidem meritiſſimo, non ipſi utique naturæ corporis; & ſi id quod proprium Verbi fuerit, quod ex Deo natum eſt, ſed ſupremæ potius virtuti*,

tuti, ac creatas res omnes ſuperanti, tamquam ex perſona Dei ac Patris, ex quo prodiit Filius æqualis & ſimilis ipſi per omnia. Procedit autem per ambos & vivificans Spiritus. Spiritum ſanctum a Filio procedere pariter aſſerit, ac Filium a Patre; non igitur temporaria dumtaxat miſſione, & ratione donorum quæ cum hominibus communicat, ſed æterna & ſubſtantiali. Et certe ſi Patrum teſtimonia Spiritum a Filio procedere aſſerentia, ad temporariam profuſionem & miſſionem Spiritus ſancti detorquere liceat; eodem jure loca omnia quæ a Patre procedere eumdem Spiritum docent, de donorum illius largitione, non ſubſtantiali proceſſione, intelligere licebit. Inane ergo eſt illud Græculorum Schiſmaticorum effugium.

Idem *S. Cyrillus* in Reſponſione ad Orientalium objectiones ad Anathematiſmum 9. æque expreſſis verbis Spiritum ſanctum a Filio procedere affirmat. *Omnia*, inquit, *exiſtens quæcumque eſt Pater, excepto eo ſolo quod Pater eſt: & proprium habens qui ex ipſo eſt, & ſubſtantialiter ineſt ei, Spiritum Sanctum, divina miracula faciebat.*

Et lib. XXXIV. *Theſauri*, in Cap. cujus ea inſcriptio eſt: *Ex ſubſtantia Patris & Filii eſſe Spiritum Sanctum*, hæc habet: *Cum ergo Spiritus ſanctus in nobis exiſtens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre & Filio; perſpicuum eſt divinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ, ſubſtantialiter in ipſa & ex ipſa procedentem: quemadmodum utique flatus ille, qui ex ore hominis*

nis excurrit. Ibidem: *Cur igitur legem fert Chriſtus, Spiritus ipſe, utpote qui in ipſo, & ex ipſo naturaliter exiſtit, legem fert*. Ibidem *Neceſſe eſt fateri Spiritum e ſubſtantia eſſe Filii. Nam ut ex ipſo naturaliter exiſtens, & in creaturam ab ipſo miſſus, renovationem efficit: complementum nempe Sanctiſſimæ Trinitatis. Quod ſi ita eſt Deus, ergo & ex Deo eſt Spiritus, & non creatura*.

Et in Epiſtola ad Neſtorium. *Quamvis enim Spiritus in ſubſtantia propria ſit, quatenus Spiritus eſt, & non Filius; eſt tamen ab ipſo non alienus. Profunditur autem ab ipſo, non minus profecto quam ex Deo & Patre*.

Et lib. 10. Commentarii in Joannem. *Cum* inquit, *venturum ad eos Paracletum antea dixiſſet, Spiritum veritatis eum nominavit, id eſt, ſuum. Ipſe enim eſt veritas. Nam ut ſcirent Diſcipuli non alienæ ac peregrinæ virtutis illapſus, ſed ſemetipſum tradendum polliceri, Spiritum veritatis, id eſt, ſuum, Paracletum appellat. Spiritus enim Sanctus nullo modo ab Unigeniti ſubſtantia alienus intelligitur, ſed ex eo naturaliter procedit, identitate naturæ aliud nihil ab ipſo exiſtens, licet in propria Perſona ſubſiſtere intelligatur ... Cum ergo venerit*, inquit, *Paraclitus, nihil a ſemetipſo loquetur ... Nihil enim loquetur prorſus quod mihi non placeat, ſed nec peregrinam vobis doctrinam tradet. Nec enim ſuas vobis leges inferet, ſed cum Spiritus & mens quodammodo mea ſit, omnino quæ in me ſunt loquetur*.

In

In eodem libro, *Ut enim Chriſtus in nobis, ita & Spiritus ejus*. *Idcirco ait*: „ Ipſe vos „ docebit omnia quæ ego dixi vobis. Nam „ cum ſit Chriſti Spiritus mens ejus, non „ aliud quiddam exiſtens ab ipſo naturalis „ identitatis ratione licet in propria hypoſtaſi „ intelligatur ac ſit, omnia novit, quæ in „ eo ſunt.... Quocirca ut qui novit omnia „ quæ ſunt in voluntate Unigeniti, omnia „ nobis annuntiat, non diſciplina comparatam ſcientiam habens, ne Miniſtri vicem „ implere videatur, & alterius ſermones deferre, ut Spiritus ejus, & qui citra Doctoris operam novit omnia quæ ſunt ejus ex „ quo & in quo eſt, divina Sanctis revelat „ myſteria: Sicuti nimirum & mens humana omnia quæ in ſe ſunt agnoſcens, enuntiativo verbo ut foras emittat voluntates „ animæ miniſtrat, cujus eſt etiam mens; „ aliud quidem ab ipſa nomine & conceptu, „ ſed alia ſecundum naturam non exiſtens, „ ſed quæ velut pars completiva totius, in „ ea exiſtit, & ex ea prodire creditur.

Et lib. 11. ſic proſequitur „ Clarificat itaque Filium Paracletus, id eſt proprius „ ejus Spiritus, qui omnia poteſt, & omnia „ novit. Quomodo vero clarificat? Nam quæ „ novit ac poteſt Spiritus ejus, quomodo „ ipſe non noverit, aut quomodo non poſſit? „ Quod ſi, ut ipſe ait, de ſuo Spiritus accipit, quamvis omnia poſſit & faciat, quo-

„ mo-

„ modo ipſe omnium rerum poteſtatem non
„ habebit? ..... Quoniam conſubſtantialis eſt
„ Filio, & modo Deo congruenti per ipſum
„ procedit, omnem ejus perfectiſſimam in
„ omnibus operandi vim atque efficacitatem
„ habens, idcirco dicit: *Quia de meo acci-*
„ *piet*, ipſum enim ſubſiſtere per ſe Spiri-
„ tum credimus, & eſſe revera id quod eſt
„ ac dicitur, inexiſtere tamen in ſubſtantia
„ Dei, & ex ea procedere, omnia quæ ejus
„ ſunt in ſe habentem naturaliter. Nec enim
„ per participationem, neque per modum
„ habitudinis, neque tamquam aliud quid-
„ dam ſit ab ea, quia proprius eſt ejus. Que-
„ madmodum enim qui ex odoriferis floribus
„ exiſtit odor, naturalem ſuam efficacita-
„ tem, ſeu odoriferam qualitatem extrinſe-
„ cus edit, corporis partibus odorandi vi
„ præditis illabendo, & quoad ex ſenſu col-
„ ligi videtur quid diſtinctum atque aliud
„ eſſe a natura rei, qua emittitur, ſi vero
„ in ſeipſo conſideretur, nihil aliud a rebus,
„ ex quibus & in quibus exiſtit, ita de Deo
„ & Spiritu ſancto intelliges, ſi tamen ſu-
„ blimius exempli vim acceperis. Citra
„ reprehenſionem igitur omnem dici poteſt,
„ ab Unigenito quiddam accipere Spiritum
„ ejus. Nam cum per ipſum procedat natu-
„ raliter, utpote cum ſit ejus proprius, una
„ cum omnibus quæ perfecte habet, accipe-
„ re dicitur, quæ ejus ſunt.

In eodem libro. „ At proprius quoque
„ Uni-

„ Unigeniti eſt hic Spiritus, conſubſtantialis
„ enim eſt Patri. Quia ergo proprium eſſe
„ videtur Deo ac Patri in ſuo Spiritu dignis
„ revelari & per ipſum quæcumque libuerit,
„ operari, mihique illud naturaliter ineſt,
„ eam ob cauſſam dixi, Eum de meo acci-
„ pere & annuntiaturum vobis. Nemo vero
„ turbetur, cum hic audiet accipiendi voca-
„ bulum: ſed illud potius in animum inducat,
„ noſtro more enuntiari quidem res divinas,
„ non ſic tamen intelligi, ſed modo noſtrum
„ captum excedente: atque ita nos dicere
„ Spiritum accipere a Patre & Filio quæ eo-
„ rum ſunt, non quod cognitionem & virtu-
„ tem, quæ in eis eſt, aliquando non habe-
„ ret, ac vix tum habeat, cum habere cen-
„ ſetur. Sapiens enim ſemper eſt ac potens
„ Spiritus; immo vero ipſiſſima Sapientia ac
„ Virtus, non ex participatione, ſed natura
„ ſua. Quemadmodum aromatum fragran-
„ tiam noſtris naribus affuſam diverſam quo-
„ dammodo ab iis, ſed conceptu & cogita-
„ tione tantum, non aliter tamen prodire pu-
„ taveris, quam ab iis, ex quibus eſt, acce-
„ pta virtute, qua ſe exerat, cum alia non
„ ſit, propterea quod ex iis & in iis exiſtat.
„ Tale quid, immo vero ſupra id de Deo &
„ Sancto Spiritu cogitabis. Eſt enim odor
„ veluti quidam ſubſtantiæ ejus, vivens &
„ efficax, qui, quæ a Deo ſunt, creaturæ
„ tranſmittit, & ſupremæ omnium ſubſtan-
„ tiæ per ſe ipſum participationem inſerit.

„ Nam

„ Nam ſi aromatum fragrantia vim ſuam ve-
„ ſtibus imprimit, & in ſe ipſam quodammo-
„ do transformat ea in quibus fuerit, qui non
„ poterit Sanctus Spiritus, ſiquidem natura-
„ liter eſt ex Deo, divinæ conſortes naturæ
„ per ſe ipſum eos reddere, in quibus ſit?
„ Fructus igitur & character ſubſtantiæ Geni-
„ toris cum ſit Filius, omnia quæ ejus ſunt
„ ſecundum naturam ſibi vindicat. Idcirco
„ ait. *Omnia quæcumque habet Pater, mea*
„ *ſunt: Propterea dixi vobis quia de meo ac-*
„ *cipiet, & annuntiabit vobis*, Spiritus ni-
„ mirum, qui per ipſum, & in ipſo eſt: per
„ quem Sanctis, ut ipſe, inhabitat. Nec
„ enim diverſus eſt ab eo Spiritus ejus, licet
„ in propria perſona ſubſiſtere intelligatur.

VII. Non eſt audiendus hac in controverſia *Theodoretus*, qui nimio contentionis æſtu in *S. Cyrillum* abreptus, errorem de Proceſſione Spiritus ſancti a ſolo Patre primus omnium effudit in Confutatione 12. ipſius Capitulorum. Cum enim S. *Cyrillus* in Capitulo 9. dixiſſet. *Spiritum ſanctum Filii eſſe proprium* Theodoretus ſic illum reprehendit. *Quod autem Spiritum Filii eſſe proprium diſſerit, ſiquidem ut ejuſdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, aſſentiemur, & eam vocem tamquam piam admittemus. Sin hoc aſſerit, tamquam ex Filio & per Filium exiſtentiam habeat, velut blaſphemum hoc impiumque rejiciemus. Fidem enim adhibemus dicenti Domino. Spiritus qui ex Patre procedit: uecnon divi-*

diviniſſimo Paulo ſimiliter loquenti. Nos autem non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo Patre eſt.

VIII. *S. Maximus* Martyr in Tractatu *De Candelabro Zachariæ Prophetæ*, quem contra ſuos Græcos *Joannes Beccus* adducit, eorum errorem evertit his verbis. *Nam Spiritus ſanctus, quemadmodum natura Dei eſt, ac Patris ſecundum ſubſtantiam: ſic eſt Filii ſecundum ſubſtantiam: tamquam qui ex Patre ſubſtantialiter per filium genitum inexplicabili modo procedat.* Porro Spiritus ſanctus non poteſt dici Filii, niſi tamquam Principii. Hæc enim loquendi ratio relationem ſignificat, relatio autem nulla eſt in divinis, niſi ex origine petita. Deinde cum unum alterius dici, vel hoc hujus proprium in divinis, rejecta materia, & iis quæ materiam conſequuntur, neque tamquam membrum, neque ut poſſeſſio, neque ratione alicujus excellentiæ, vel alterius cujuſpiam affinitatis queat: ſed ratione ſola principii, & ejus quod eſt a principio: in quo uno alterum ab altero diſcerni comprehendimus: perſpicuum eſt, cum dicimus, Spiritum ſanctum proprium eſſe Filii, id ſola illa principii ratione dictum intelligi poſſe. Non enim ideo ita loquimur, quod ſint ejuſdem ſubſtantiæ: quia ſi vera eſſet hæc ratio, non minus Filius dici poſſet eſſe Spiritus ſancti, quam Spiritus Filii. Quod cum inauditum ſit, conſequens eſt, ideo Spititum Filii dici, quod a Filio procedat. Sed neque ob

id proprius Filii dicitur Spiritus ſanctus, quod ab illo donetur ac mittatur. Nam præter quam quod miſſio divinæ Perſonæ indicium eſt originis ejus, quæ mittitur a mittente, Donatio Spiritus ſancti fit in tempore. At proprium eſſe Filii Spiritum ſanctum, ſempiternum quidpiam eſt. Non poteſt autem, quod in tempore fit cauſſa illius eſſe, quod eſt æternum. Nam ſi homini, quod ei proprium eſt, ineſt ſemper quamdiu vivit: multo magis quod Filii Dei proprium eſt, ſemper ipſi ineſt. Ita ratiocinantur *Demetrius Cydonius* in lib. *de Proceſſione Spiritus ſancti*, cap. 10. & *Manuel Calecas lib.* 2. *contra Græcos*.

IX. Non repugnat huic doctrinæ *S. Maximus* in Epiſtola ad *Marinum*, in qua de Synodicis Romani Pontificis agens, in quibus ſcriptum erat, *Spiritum ſanctum* etiam *a Filio procedere*, ſic illud a Romanis intelligi ait, *Non ut cauſſam Spiritus ſancti Filium faciant; Unam enim noverunt Filii & Spiritus eſſe cauſſam: alterius quidem ſecundum nativitatem, alterius vero ſecundum proceſſionem: ſed ut per ipſum procedere inſinuarent; ſicque conjunctionem eſſentiæ, & incommutabilitatem commendarent*. Vult tantum *S. Maximus*, quod etiam a Romanis intelligi & prædicari obſervat, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio ceu ex uno principio procedere. *Ob id tamen quod Filius ſit ex Patre ſine medio, Spiritus autem per Filium procedat, ac per ipſum Patri conjungatur, quodque Filii omnia ad Patrem referan-*

ferantur, Pater unum Spiritus ſancti principium dicetur: quocirca ſolus quoque fons deitatis dictus eſt: fonſque & radix Filii & Spiritus, & ſolus cauſſa dici poteſt, quod nihil ante ſe cogitatum habeat, atque ad ipſum referantur omnia. Conſonant ſequentia *S. Maximi* verba. Nam dicere. *Propterea ex Filio procedere dixerunt, ut per ipſum illum procedere ſignificarent*, nihil eſt aliud quam dicere. *Idcirco ex Filio procedit, quia procedit per Filium, quia enim per Filium procedit, naturaliter ſcilicet atque eſſentialiter procedit. Ita quippe & eſſentiæ conjunctio & incommutabilitas declarabitur. Quod autem per aliquod naturaliter atque eſſentialiter prodiit, ex ipſo etiam ſubſtantiam habet... Sic itaque & quæ in prædicta Epiſtola poſita ſunt, veritati & ſibi ipſis concinunt, & quæ a S.Cyrillo, Latiniſque Doctoribus de* Spiritu *ſancto dicta ſunt, interroganti S. Maximo Romani allegaverunt. Impoſſibile namque eſt, Magiſtros Eccleſiæ, ex Filio eſſe, atque procedere Spiritum dicere, & rurſus per Filium eſſe, atque procedere: deinde cauſſam a Filio auferre. Hoc enim eſt aperta contradictio.* Ex, *enim præpoſitio, & maxime in divinis perſonis proceſſum cum cauſſa commendat*: & per *tantumdem valet*. Ita de hoc S. *Maximi* loco differit *Manuel Calecas, lib. 3. contra Græcos*.

X. S. *Joannes Damaſcenus* lib. 1. de Fide Orthodoxa, cap. 18. eidem dogmati ſuffragatur. *Imago*, inquit, *Patris eſt Filius, & Filii*

Filii Spiritus ; per quem Chriſtus habitans in homine, dat ipſi ut ad imaginem ſit. Porro ex eo quod Spiritus ſanctus Imago Filii nominatur, recte colligit *Hugo Ætherianus* lib. 2. cap. 7: ipſum a Filio procedere : quemadmodum Filium a Patre procedere demonſtramus inde quod illius imago dicatur. *Imago enim dicitur Filii Pater* (inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 26.) *tamquam conſubſtantialis Patri, & quia ex illo eſt, non autem ex hoc Pater.* Secundo, ad imaginis rationem neceſſe eſt, ut originem habeat a prototypo. Alioqui non magis unum erit Imago alterius, quam hoc illius. *Omnis imago* (inquit S. Auguſtinus in lib. Imperfecto de Geneſi ad litteram) *ſimilis eſt ei cujus imago eſt. Nec tamen omne quod eſt ſimile alicui, etiam Imago eſt ejus ... Imago enim tunc eſt, cum de aliquo exprimitur.*

XI. Objiciunt nihilominus Græci Schiſmatici teſtimonium S. *Joannis Damaſceni* velut eorum errori patrocinantis lib. 1. *De Fide Orthodoxa*, cap. 11. *Scire, inquit, oportet, nos non dicere Patrem eſſe ex aliquo ; ſed ipſum dicimus patrem eſſe Filii : Filium vero non dicimus principium, neque Patrem, ſed eum dicimus ex Patre eſſe & Filium Patris. Porro Spiritum ſanctum tam ex Patre eſſe profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, ſed eum Filii Spiritum nominamus.* Et Cap. 13. *Sed & Filii Spiritus eſt, non tamquam ex ipſo : ſed*

ſed quod per ipſum ex Patre procedat. Solus enim Pater principium eſt.

Sed optime reſpondet *Manuel Calecas*, lib. 3. contra Græcos, *S. Joannem Damaſcenum* ideo negare Spiritum ſanctum ex Filio procedere, quia particula, *ex*, principalem cauſſam ſignificat, hoc eſt, eam, quæ ab altera producendi vim non accipit, ſed habet a ſeipſa. Ejuſmodi autem non eſt Filius, qui, quæ habet a Patre accepit omnia, & unum eſt atque idem cum Patre Principium Spiritus ſancti. At Spiritum ſanctum a Patre per Filium procedere docet *S. Joannes Damaſcenus*. Idem autem ſignificant hæ præpoſitiones, *ex*, &, *per*, in Patre & Filio; perſonas dumtaxat diſcernunt. Ait enim Magnus *Baſilius* ad Amphilochium ſcribens, 5. cap. *Unus Deus & Pater, ex quo omnia: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia. Iſtæ non ſunt legem ponentis voces, ſed diſtinguentis potius ſubſtantias. Non enim ut alienum naturæ introducat, ſed ut inconfuſam Patris & Filii intelligentiam commendet, ita pronuntiavit Apoſtolus*. Et Gregor. Theologus ait. *Ex quo, & per quem, quod dicitur, non naturas ſcindentium eſt, ſed unius inconfuſæque naturæ proprietates exprimentium*. „ Idcirco itaque *S. Joannes Damaſcenus* particulam, *per*, „ uſurpavit (inquit Calecas) ut conſubſtan„ tialitatem, ſimul & perſonarum ordinem „ ac diſcretionem ſignificet & ipſis Proceſſio„ nibus apparentem. In quo ſane ordine ac

„ diſcretione Filii perſona medium obtinet „ locum: & ne vel una perſona Pater & Filius exiſtimetur propter Præpoſitionum ſimilitudinem; vel duo, & contra ſe diviſa „ ambo Spiritus principia videantur, taliſve „ eſſe Filii perſona, qualis & Patris eſt, nihil ante ſe cogitatum habens, quemadmodum & Pater: *Ex*, enim ſiſtit mentem, „ & ulterius ire non cogit principalemque „ cauſſam quærere, cui præpoſitio, *ex*, principaliter attributa eſt. At præpoſitio, *per*, „ ad alteram perſonam, præter illam ex qua „ immediate alia oritur, provehit mentem, „ principalemque illam deſignat cauſſam, in „ qua hoc ponitur medium & primi, & ejus „ ad quem proceſſus, ſive operatio. Atque „ ita Trinitatem integre nobis commendat „ præpoſitio, *per*, ſimulque proceſſionum „ ordinem ad invicem indicat.

„ Addit *Manuel Calecas*, Aliud eſſe quod „ aliquid non dicatur, & quod revera non ſit. „ Eſſe enim Filium Patri conſubſtantialem, „ Deique Genitricem ſemper Virginem prędicari in Eccleſia: atque humanæ naturæ „ Filium Dei ſecundum ſubſtantiam unitum „ eſſe, vera quidem ſunt: fuit tamen quando non dicebantur. Non tamen ideo falſa „ fuerunt. Nam poſtea, neceſſitate urgente, propter contraria dicentes etiam ut in „ Eccleſia publice dicerentur, inſtitutum, & „ firmatum eſt. Quid ergo mirum ſi *S. Joannes Damaſcenus*, quod non pronuntiabatur, „ ut

„ ut multa alia, & tunc, & prius, non dici „ ait? Non enim per hoc oſtendit, quia non „ eſt; ſed hoc ſolum, quia in conſuetudine „ non proferretur.

„ Addit rurſus Vir Doctiſſimus, plurimos „ SS. Patrum eaſdem dictiones in Theologia, „ ſecundum differentes intelligentias & ſu-„ ſcipere, & non ſuſcipere, & aliquando „ ſic, aliquando aliter: ut Magnus *Baſilius* in „ Quæſtionibus ad Eunomium, *germen*, Fi-„ lium dicentem non ſuſcipit: dictionem hanc „ imperfectioribus congruere exiſtimans, quo-„ circa eam maxime ponebat *Eunomius*. Ve-„ rum *Gregorius Theologus*, in primo libro „ de Filio, de eo & Spiritu ſancto loquens, „ ait. *Horum autem alterum quidem germen,* „ *alterum vero productum eſt.* Et cauſſam qui-„ dem & cauſſale in divinis perſonis dici ve-„ tat *B. Cyrillus* dicens. *Cauſſam vero &* „ *cauſſale ne nominare quidem fas eſt*. Si quis „ illud ſcilicet juxta creaturarum morem „ accipiat. Communis autem fides, omneſ-„ que Theologi (*Græci*) in ſola cauſſa & „ cauſſali (quibus nominibus intelligunt prin-„ cipium & id quod eſt ex principio) divinas „ perſonas diſtingui dicunt: majuſque quod „ dicitur Patri, cauſſæ ratione plurimi Do-„ ctorum aſſignarunt. Juxta Opinionem „ autem Arianorum ab Eccleſiæ ambitu re-„ pellitur. Nihil ergo mirum, ſi etiam SS. „ Doctorum alii, quidem, *Ex* principali „ cauſſæ, & ante quam nihil cogitatur, huic

 „ ſoli

„ ſoli eam congruere arbitrati, ex Patre per „ Filium procedere Spiritum ſanctum, pro- „ ductoremque Patrem per Verbum aſſeve- „ rant: quia Filii omnia ad Patrem referun- „ tur, non tamen, *ex Filio* dicunt. Alii ve- „ ro & ei, qui ex cauſa eſt, ut Filio, con- „ gruere ponentes, cujus Pater principalis „ præcogitatur cauſſa: eo quod unum princi- „ pium, & una cauſſa ſit Pater & Filius, ſi- „ cut & una eſſentia: nunc quidem *per Fi-* „ *lium* eſſe ac procedere dicunt, nunc autem „ *ex Filio* eſſe ac procedere. Per utraque „ idem volentes, etſi ſyllabis differant. „ Hæc *Manuel Calecas*. Sed quid prolixiori expoſitione opus eſt cum *Sanctus Joannes Damaſcenus*, cap. XV. ejuſdem libri, de Patre ſermonem habens, ſubinferat: *Et productor per Verbum explanantis Spiritus*. Et his verbis *S. Joannem Damaſcenum* proceſſionem ab utroque cognoviſſe, celeberrima Græcorum Synodus ſub *Andronico* Imperatore celebrata Conſtantinopoli declaravit, de qua *Pachimeres*, Lib. VII.

XII. In aſſerenda Proceſſione Spiritus ſancti a Filio Latini Patres cum Græcis conſpirant. Quos inter *S. Hilarius* lib. 2. de Trinitate ait. *Loqui de eo* (ſcilicet Spiritu ſancto) *non neceſſe eſt, quia de Patre & Filio auctoribus confitendus eſt*. Et lib. 8. *A Filio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & a Patre procedit: & interrogo utrum idipſum ſit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod*

ſi ni-

ſi nihil differre credetur inter accipere a Filio, & a Patre procedere: certe idipſum atq; unum eſſe exiſtimabitur a Filio accipere, quod ſit accipere a Patre. Ipſe enim Dominus ait. „ Quoniam de meo accipiet, & annuntiabit „ vobis.„ *Hoc quod accipiet, ſive poteſtas eſt, ſive virtus, ſive doctrina eſt, Filius a ſe accipiendum dixit...* Ac mox. *Omnia quæ Patris ſunt, Filii ſunt: & idcirco quidquid accipiet, a Filio accipiet ille mittendus, quia Filii ſunt univerſa, quæ Patris ſunt.*

XIII. *Marinus Victorinus* lib. 1. contra *Arium*, idem aſſerit. *Duo ergo & iſti,* inquit, *alius ex alio; ex Filio Spiritus ſanctus, ſicut ex Deo Filius, conrationaliter & Spiritus ſanctus ex Patre.*

XIV. *S. Ambroſius* idem plane docet *lib. De* Spiritu *ſancto*, cap.X. *Spiritus quoque Sanctus* (inquit) *cum procedit a Patre, non ſeparatur a Filio.* Et lib. *De Symbolo*, cap. 3. *Spiritus autem ſanctus vere Spiritus eſt, procedens quidem a Patre & Filio; ſed non eſt ipſe Filius, quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus.* Legatur & lib. VIII. in Lucam cap. XXVIII.

XV. *S. Auguſtinus* idem prædicat variis in locis; ſed maxime lib. XV. *De Trinitate*, cap. XVII. ubi explicans quod præmiſerat, Spiritum ſanctum principaliter a Patre procedere, ait. *Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procede-*

re reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam exiſtenti, & nondum habenti. Sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, & Spiritus ſanctus eſſet amborum. Idem confirmat cap. XXVI. Et Tractatu XCIX. in Joannem. *Cur ergo*, inquit, *non credamus, quod etiam de Filio procedat* Spiritus *ſanctus, cum Filii quoque ipſe ſit Spiritus? Si enim ab eo non procederet non poſt Reſurrectionem ſe repræſentans Diſcipulis ſuis, inſufflans diceret. Accipite* Spiritum *ſanctum. Quod enim aliud ſignificavit illa inſufflatio, niſi quod procedat Spiritus ſanctus & de ipſo?*

XVI. S. *Leo Magnus* idem tradit *Sermone II. de Pentecoſte*, verba illa Chriſti apud S. Joannem exponens. *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c. Numquid ſeſe Dominus inferioris ſcientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quam* Spiritum *ſanctum a Patre didiciſſe, cum ipſe ſit veritas, & nihil Pater dicere, nihil docere poſſit ſine Verbo, ideoque dictum ſit: De meo accipiet; quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius.*

XVII. *Gennadius* Maſſilienſis, lib. *de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, cap. 1. idem profitetur Fidei dogma. *Spiritus ſanctus*, inquit, *ex Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens.*

Sic & S. *Fulgentius* in lib. *De Fide ad Petrum*, cap. 11. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, eumdem Spiritum ſanctum, qui Pa-*

Patris, & Filii unus eſt Spiritus, de Patre, & Filio procedere.

XVIII. Toletana Concilia, Primum, Tertium, Quartum, Octavum, Undecimum, Duodecimum, & Decimum-tertium, *Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere* aſſerunt. S. *Gregorius Turonenſis* idem prædicat in Profeſſione Fidei, quæ extat initio lib. 1. Hiſtoriæ Francorum.

XIX. Sic Auctor Symboli, quod Athanaſianum vulgo inſcribitur. *Spiritus ſanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Synodus Forojulienſis ſub *Paulino* Patriarcha idem tradit in Symbolo Fidei.

XX. Ita ante Paulinum S. *Gregorius Magnus* Homilia XXVI. in Evangelia. *Spiritus ſancti miſſio, ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit, & Filio.*

XXI. Quæſtio de Proceſſione Spiritus ſancti agitata eſt in Concilio Aquiſgranenſi ſub *Carolo Magno* anno DCCCIX. teſte *Adone*. Romam directi *Bernharius* Wormacienſis Epiſcopus, & *Adalardus* Corbejenſis Abbas: anno ſequenti ab iis habita cum *Leone* Pontifice Maximo Collatio, *Lectis per ordinem teſtimoniis* de Proceſſione Spiritus ſancti, *atque a Domno Apoſtolico diligentiſſime auditis, ait. Ita ſentio, ita teneo cum his Auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re ſentire vel docere voluerit, defendo; & niſi converſus fuerit, & ſecundum hunc*

ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio. Ita referunt Acta Collationis a *Smaragdo* Abbate conſcripta.

Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus hiſce temporibus Libellum *De Proceſſione Spiritus ſancti* juſſu *Caroli Magni* conſcripſit, in quo antiquorum Patrum colligit Sententias, qui Spiritum ſanctum a Patre, Filioque procedere ſcripſerunt. Horum Indiculus ita texitur: Athanaſius, Cyrillus, Hilarius, Ambroſius, Didymus, Auguſtinus, Fulgentius, Hormiſda, Leo, Gregorius, Iſidorus, Proſper, Vigilius Afer, Proclus, Agnellus, Caſſiodorus, Prudentius. Quid intendat *Theodulfus* in metrica Operis ad *Carolum Magnum* Præfatione ſic exponit.

Imperii veſtri, Rex Inclite, juſſa ſecutus,
Defert Theodulfus hæc documenta libens.
Queis Patre ſeu Nato procedere Spiritus almus
Adſtruitur, Legis hoc reſonante tuba.
Hoc Evangelium, hoc promit Apoſtolus auctor,
Hoc canit unanimis vox pia, ſacra Patrum

Lege de eodem dogmate *Ratramnum* Corbejenſem Monachum, & *Æneam* Pariſienſem Epiſcopum, illum in Reſponſione ad Græcorum Oppoſita, illum in libro contra Græcos.

XXI. S. *Anſelmus* Lib. *De Proceſſione Spiritus ſancti contra Græcos*, cap. 2. ſtatuit illud Principium, quo in hac dirimenda controverſia poſt Angelicum Doctorem plurimum utuntur Theologi: „ In divinis omnia ſunt unum, „ ubi

„ ubi non obviat relationis oppoſitio. *Sic autem habet*: Sequitur, ſecundum unitatis „ Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem, ut quidquid de uno Deo, qui totus „ eſt, quidquid eſt, dicitur de toto Deo Patre, dicatur & de Filio, & Spiritu ſancto: quia unuſquiſque ſolus & totus, & „ perfectus Deus eſt. Supradicta vero relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia „ ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, „ prohibet Patrem, & Filium & Spiritum „ ſanctum de invicem dici: & propria ſingulorum aliis attribui. Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis conſequentiæ ſe „ contemperant, ut nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea in quibus prædicta ſimplicitas ſonat unitatis: nec „ unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio ſignificatur: quatenus nec unitas admittat aliquando ſuam conſequentiam, ubi „ non obviat aliqua relationis oppoſitio; nec „ relatio perdat quod ſuum eſt, niſi ubi obſiſtit unitas inſeparabilis. Hoc poſito principio, S. *Anſelmus* colligit, neceſſe eſſe ut aut Filius ſit de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio, ſiquidem relationis oppoſitio oritur ex eo quod Deus ſit de Deo. At Filius non procedit a Spiritu ſancto; conſequens ergo eſt Spiritum ſanctum procedere a Filio ſimul & Patre, ſiquidem nulla id relatio originis impedit. Præterea, cum dicitur Deus de Deo, aut ſignificatur totum eſſe de toto,

aut partem de parte, aut partem de toto. Sed Deus nullam habet partem: impoſſibile igitur eſt ut ſi Deus eſt de Deo, totus ſit de parte, aut pars de toto, aut pars de parte. Neceſſe eſt igitur, ut ſi eſt Deus de Deo, totus ſit de toto. Cum ergo Filius dicitur eſſe de Deo, qui eſt Pater, & Spiritus ſanctus; aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus ſanctus, ut de toto Patre ſit, & non de toto Spiritu ſancto: aut ſi idem totus Deus eſt Pater & Spiritus ſanctus; ex neceſſitate cum eſt de Deo toto, eſt pariter de Patre & de Spiritu ſancto, ſi non repugnet aliud. Eodem modo cum dicitur Spiritus ſanctus eſſe de toto Deo, qui eſt Pater & Filius: aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, ut ſit de toto Patre, & non de toto Filio Spiritus ſanctus: aut cum eſt de Patre Spiritus ſanctus, non poteſt non eſſe de Filio, ſi non eſt Filius de Spiritu ſancto. Nulla enim alia ratione poteſt negari, Spiritus ſanctus eſt de Filio.

Contra hoc ratiocinium objici poſſe ait *Sanctus Anſelmus*, Non eſſe conſequens, ex eo, quod Pater unus eſt totus cum Filio, & a Patre oritur Spiritus ſanctus, etiam a Filio hunc oriri: neque unitatem Deitatis in Patre & Filio hanc habere vim conſequentiæ. Sicut ex eo, quod unus Deus eſt Filius & Spitus ſanctus, non ſequitur genitum eſſe de Patre Spiritum ſanctum, ſicut Filius gignitur.

Cui objectioni ſic reſpondet. *Habent utique a Patre eſſe Filius & Spiritus ſanctus, ſed di-*

verſo

verſo modo : quia alter naſcendo , alter procedendo . Et ideo cum naſcitur unus , non poteſt cum eo naſci ille qui per hoc alius eſt ab eo , quia non ſimiliter naſcitur , ſed procedit . Et cum unus procedit , nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo , quia non ſimiliter procedit , ſed naſcitur . Et ideo non habet hic unitas illa vim conſequentiæ ; quia pluralitas obviat ; quæ ex nativitate naſcitur & proceſſione . Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius *& Spiritus ſanctus , per hoc ſolum eſſent diverſi .* Id ſenſu cauſſali intelligendum , non formali , ut Theologi de Schola loquuntur : ex diverſa enim Proceſſione diverſæ Relationes exiſtunt , & Perſonæ diſtinctæ . Quæ Theologorum diſtinctio ex ipſomet S. Anſelmo accepta eſt , dicente : *ſupradicta vero relationis oppoſitio quæ ex eo naſcitur , quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt , &c.*

Et Cap. V. probat Filium docuiſſe , Spiritum ſanctum a ſe procedere , cum docuit ipſum procedere a Patre , his Domini verbis :
„ Paraclitus Spiritus ſanctus , quem mittet
„ Pater in nomine meo . *Et* : Cum autem
„ venerit ille Paracletus , quem ego mittam
„ vobis a Patre . *Quid porro eſt* , Mittet Pa-
„ ter in nomine Filii , niſi mittet Pater ,
„ tamquam ſi mittat Filius : ut in miſſione
„ Patris , miſſio intelligatur Filii ? *Quid ve-*
„ *ro eſt* : Ego mittam a Patre; niſi , Ego mit-
„ tam tamquam ſi Pater mittat , ut una &
„ eadem ſit miſſio mea & Patris ? . . . Unde

„ enim Filio cum Patre dare ſimul vel mittere Spiritum ſanctum, & hunc eſſe utriuſque, ſi ſimul non eſt de utroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum ſanctum, quam Spiritus ſanctus Filium? Aut cur magis Spiritus ſanctus eſt Filii, quam Filius Spiritus ſancti: niſi quia Filius non eſt ita de Patre ſimul & Spiritu ſancto, ſicut Spiritus ſanctus eſt de Patre ſimul & Filio; Si ergo Spiritus ſanctus non de Filio, non datur a Filio, nec dicitur eſſe Filii: ſicut Filius non datur a Spiritu ſancto, nec dicitur eſſe Spiritus ſancti, quoniam non eſt de Spiritu ſancto. Si autem dicunt, quia Spiritus ſanctus mittit etiam Filium; ſicut idem ipſe dicit per Prophetam: *Et nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus*: hoc ſecundum hominem quem gerebat, intelligendum eſt, qui Patris & Spiritus ſancti una voluntate & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.

Idem confirmat cap. 6. ex illis Domini verbis de Spiritu ſancto: *Non enim loquetur a ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquetur.* Quid eſt, *Non loquetur a ſemetipſo*, inquit S. Anſelmus, *niſi ab alio habet quod loquetur?* Unde addidit, *Sed quæcumque audiet, loquetur*. Quid eſt, *Audire Spiritum ſanctum, niſi quaſi diſcere? Et quid eſt diſcere, niſi ſcientiam accipere? Si ergo ſcientia ejus non eſt aliud niſi eſſentia ejus, ab illo habet eſſentiam, a quo audit ea quæ loquitur, & quæ docet. Quoniam*

 idem

idem eſt illi loqui, quod docere. Non audit autem, neque habet eſſentiam ab alio, niſi a Patre & Filio. Verum ſi habet eſſe a Patre ſecundum ſupradictam rationem, habet & a Filio. Unde & idem Filius dicit: Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Quippe quid eſt aliud hoc dicere, quam me audiet, hoc eſt a me ſciet, quod annuntiabit vobis? Cum dixit*: Quæcumque audiet loquetur: *non determinavit a quo audiet. Cum vero ait*, De meo accipiet; *ne quis ſoli Patri attribuat quod ab alio audit, aperte ſe eſſe a quo, ſicut a Patre, ſcientiam, ſive eſſentiam accipiat, demonſtrat. Sicut enim cum dicitur*: Non loquetur a ſeipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur, *ſignificatur ab eo eſſe & procedere, a quo audit; ita cum profert Filius*: De meo accipiet: *palam oſtendit eum de ſuo, hoc eſt, de eſſentia ſua eſſentiam habere & procedere*. His adde Julianum Pomerium, Vigilium Tapſenſem, Agnellum, Caſſiodorum, Iſidorum Hiſpalenſem, Alcuinum, quorum teſtimonia profert *Æneas Pariſienſis* lib. adverſus Græcos, Tomo VII. Spicilegii.

XXII. Ex his *Photius* refellitur, qui tum in Epiſtola Encyclica, tum in Epiſtola ad Aquilejenſem Archiepiſcopum, effutiit, Dogma de proceſſione Spiritus ſancti a Patre & Filio blaſphemum eſſe, repugnare Chriſti verbis, dicentis: *Spiritus qui procedit a Patre*; & Sacris Synodis, & SS. Patribus, Athanaſio præcipue, Gregorio Theologo, Baſilio, Chry-

Chryſoſtomo, Leoni, adverſari: Si decem, vel viginti ex Patribus dixerint Spiritum ſanctum a Filio procedere, ſexcentos id nequaquam dixiſſe: Quoſdam SS. Patrum multis in rebus ſæpe a rectorum dogmatum exacta via receſſiſſe, in iis eos non admitti, in aliis tamen recipi. Quod Dionyſii Alexandrini, Methodii, Irenæi, Papiæ probat exemplis. *Eodem etiam pacto*, inquit, *ſi quis illorum deducti ſunt ut dicerent Spiritum ſanctum a Filio procedere, illud quidem quod repugnat Dominicis verbis, non ſuſcipimus, ipſos tamen veneramur, & a Patrum numero non ſegregamus*. S. Leonem impudenter appellat velut errori ſuo faventem; quem tamen evertit, non ſolum loco inrer probationes laudato, ſed etiam Epiſtola 93. ſeu 15. in Editione P. Quenellii, ad *Turribium* data, cap. 1. ubi contra Priſcillianiſtas ſic loquitur: „ Primo itaque Capitulo demonſtratur quam impie ſentiant de Trinitate divina, qui & Patris & Filii, & Spiritus ſancti unam atque eamdem aſſerunt eſſe Perſonam; tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur: Nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque proceſſit.

Objiciunt Schiſmatici, in Synodo Epheſina *Cariſium* Præſbyterum de confiſto Symbolo Neſtorii, quod *Anaſtaſius* & *Photius* Neſtoriani per *Antonium* & *Jacobum*, qui Teſſaradecatitarum hæreſi antea ejurata, *Neſto-*

rio

rio ſe addixerant, publice verba facientem, inter alia in eo contenta, hæc recitaſſe:
„ Et in Spiritum ſanctum, qui cum ſit ex Dei
„ ſubſtantia, Filius non eſt, ſed ſubſtantia-
„ liter Deus; utpote ejus ſubſtantiæ exiſtens,
„ cujus eſt Deus, & Pater, ex quo quidem
„ eſt ſecundum ſubſtantiam peculiari ratione,
„ præ univerſa creatura; quam non eſſentia-
„ liter, ſed cauſſalitate creationis ex Deo
„ cenſemus eſſe. Sed nec Filium illum pu-
„ tamus, neque per Filium ſubſtantiam ſor-
„ titum „. In hac Profeſſione Fidei, inquiunt Spiritus, per Filium non eſſe aſſeritur. Illam Synodus audivit, diſcuſſit, reprehendit ea quæ reprehenſione digna erant; quod traditur de ſancti Spiritus origine, reliquit intactum. *S. Cyrillus* duodecim Capitula propoſuit *Neſtorio*, ejus erroribus oppoſita, quæ profiteri, & quibus ſubſcibere deberet; in quibus de proceſſione, Spiritus ſancti ne verbum quidem habetur. Immo *Cæleſtinus* Papa tum in Epiſtola ad *Neſtorium*, tum ad Clerum Conſtantinopolitanum, hunc *Neſtorio* errorem non exprobrat. Denique *Theodoretus* S. Cyrilli Capitula 12. reprehendens, Propoſitionem quæ *ex Filio*, aut *per Filium* Spiritum ſanctum exiſtentiam habere aſſerit, ut blaſphemam ac impiam rejicit. Cui objectioni S. *Cyrillus* nihil reſpondit omnino, *Theodoreti* ſententiam, quod in aliis ſibi objectis non fecit, ſilentio ſuo approbare viſus. Cum itaque Proceſſio Spiritus ſancti ex ſolo Patre publi-

blice lecta in Synodo, & *Theodoreti* Scripto publice contra *S. Cyrillum* defenſa, non fuerit a Patribus Epheſinis rejecta, ſententiam illam hæreticam non judicarunt.

Reſpondeo, Synodi Epheſinæ Patres, non omnes *Neſtorii* errores examinaſſe ac damnaſſe, ſed eos tantum quos in Myſterium Incarnationis evomuerat, parum ſollicitos ſi quid non ſatis caute de Trinitate affirmaſſet. Quæ quamvis poſtea *Theodoretus* in pejorem ſenſum traxerit; attamen Sancta Synodus, & *S. Cyrillus*, ne Eccleſiæ Chriſti novam inferre controverſiam viderentur, in præcipuum, & manifeſtum errorem ſubvertendum toti incubuere; quæ vero in rectum ſenſum trahi poſſe videbantur, neglexere. Verba porro Symboli quod a *Cariſio* Presbytero lectum eſt, ſenſum Catholicum patiebantur: ſcilicet Spiritum ſanctum exiſtentiam per Filium non habere, id eſt, non fuiſſe factum, nec creatum a Deo per Filium, cum reliquis omnibus creaturis. Ideo hæc Propoſitio non eſt a Concilio reprobata. Sed cum in eodem falſo Symbolo ſcriptum eſſet: „ Primo quidem ac præ„ cipue Deum Verbum, qui ſecundum eſ„ ſentiam Dei Filius & Dominus eſt, mente „ concipientes, mox vero in illo quod aſſum„ ptum eſt, hoc eſt, Jeſum a Nazaret, animo „ complexi, quem Deus Spiritu & Virtute „ inunxit, tamquam in conjunctionem cum „ Dei Verbo, filiationis & dominationis par„ ticipem. „ Ex quibus verbis dubium naſce-

ſcebatur, an Spiritum ſanctum proprium Filii vel alienum; & aliena, non propria virtute Chriſtum miracula facientem *Neſtorius* aſſereret; *S. Cyrillus* latenti veneno antidotum oppoſuit Anathematiſmo IX. docens *Spiritum*, per quem Filius in natura aſſumpta miracula patravit, *Proprium Filii eſſe*. Quod *Theodoretus* ad proceſſionem Spiritus ſancti converſum, calumniandi libidine reprehendit. Ejus vero criminationem *S. Cyrillus* non neglexit, ſed ejus objectionem confutavit ipſius Chriſti verbis, omnia quæcumque habet Pater, ſua eſſe, &c. *Procedit enim*, inquit, *ex Deo & Patre Spiritus ſanctus ſecundum Salvatoris vocem; ſed non eſt alienus a Filio; omnia enim habet cum Patre; & hoc ipſe edocuit de Spiritu ſancto. Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Manuel Calecas lib. 2. contra Græcos, ait *S. Cyrillum*, & Epheſinos Patres, ſapientiores Medicos imitatos fuiſſe, qui cum infirmum gemino morbo laborare animadverterint, adverſus eum qui perturbat magis, & ſectione indiget, etſi in ſuo genere minor eſſe videatur, prius armantur. Et Judices ſæpenumero reum aliquem nacti plurimis criminibus obnoxium, illud unum in quo deprehenſus fuerit, omiſſis interim ceteris, illi maxime objiciunt. Ita in cauſa *Neſtorii* Patres ſe geſſiſſe, præcipuum errorem diſcuſſiſſe ac damnaſſe, alios qui non ita erant manifeſti, neglexiſſe.

Ob-

Objicit *Photius*, *Leonem III.* Romanum Pontificem immaculatam Fidei doctrinam, quibuſdam ancilibus quaſi clypeis conſtructis, & columnis erectis ſcripſiſſe, & ad Eccleſiæ valvas in conſpectu omnium collocaſſe, ut nullo modo Novatoribus pateret aditus depravandi Fidei Symbolum, & aſſerendi Filium ſecundam cauſſam Spiritus ſancti præter Patrem. Ita ſcribit in Epiſtola ad Aquilejenſem Patriarcham.

Reſpondeo, Factum *Leonis III.* Photio non favere: qui tametſi illud, *Filioque*, addi Symbolo, & cantari non probaverit, nulla cauſſa tunc id poſtulante, nulla urgente neceſſitate, & Symbolum abſque illa additione in argenteis tabulis exaratum ſervari juſſerit ad memoriam poſteritatis ſempiternam: tamen Proceſſionem Spiritus ſancti a Patre & Filio ceu dogma Fidei ab Eccleſia credi profeſſus eſt, ut conſtat ex Actis Collationis Legatorum Gallicanæ Eccleſiæ, & *Caroli Magni* Imperatoris, ex Synodo Aquiſgranenſi ad Sedem Apoſtolicam directorum cum *Leone III.* quę ex Abbate *Smaragdo* Sirmondus deſcripſit Tomo II. Conciliorum Galliæ. *Lectis enim a prædictis Miſſis per ordinem teſtimoniis*, de Proceſſione Spiritus ſancti a Patre & Filio, *atque a Domno Apoſtolico diligentiſſime auditis*, *ait*: *Ita ſentio*, *ita teneo*, *cum his Auctoribus & Sacræ Scripturæ Auctoritatibus*. *Si quis aliter de hac re ſentire*, *vel docere voluerit*, *defendo*; *& niſi converſus fuerit*, *& ſe-*

& ſecundum hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio. Rogantibus deinde Legatis cur non eſſet bonum inſerere Symbolo, & cantare, quod credere bonum erat, reſpondet Pontifex: *Bonum certe & valde bonum, utpote jam Fidei Sacramentum magnum, quod non licet non credere, quiſquis ad hoc valet pertingere*. Quærentibus rurſus Legatis, Num Patres qui in ſex univerſalibus præcipuis Conciliis ſederant, recte non feciſſent, ſi quatuor tantum addendo ſyllabas tam perneceſſarium Fidei Sacramentum cunctis deinceps ſæculis perſpicuum redderetur, Pontifex reſpondet: *Sicut non audeo dicere, non bene feciſſe, ſi feciſſent; quia proculdubio ſicut cetera quæ vel omiſerunt, ſcientes utique, & non tam humana, quam divina illuminati ſapientia fecerunt: ita quoque non audeo dicere iſtud eos nobis minus intellexiſſe; perpendiſſe cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum, ne ultra mitteretur, ſicut & cetera probibuere. Tu & tui videte quid ſentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico præferam; ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam*. Reponunt Legati, nec tam ſuperbos ſe eſſe, ut illi ſeſe non tantum præferre, ſed vel coæquare præſumant. Sed inquiunt, *Quia præfatum Symbolum a quibuſdam ita cantari reperimus, & quod id Eccleſiaſticæ congruere Fidei, ſicut ſentimus utique cognovimus: atque per hoc & nunc jam plurimos doctos, & ſine fine uſque in finem ſæculi, de tanto myſterio, ſi*

ita

ita teneatur, inſtruendos eſſe cognovimus, melius nobis viſum fuit cantando tantos inſtruere, quam tacendo indoctos relinquere. Pontifex ipſos interrogat: *Num univerſa hujuſmodi Fidei myſtica Sacramenta, quæ Symbolo non continentur, ſine quibus quiſque, qui ad hoc pertingere poteſt, Catholicus eſſe non poteſt, Symbolis inſerenda, & propter compendium minus intelligentium, ut cuique libuerit, addenda ſunt?* Legati reſpondent: *Nequaquam: quia non æque omnia neceſſaria ſunt.* Et rogant Papam ut det aliquid æque neceſſarium, quod Symbolo deſit, ac illud de Proceſſione Spiritus ſancti a Patre & Filio. Reſpondet ille *Numquid magis ſalutare eſt credere, periculoſumve non credere, Spiritum ſanctum a Filio ſicut a Patre procedere, quam Filium Sapientiam Deum a Sapientia Deo, Veritatem Deum a Veritate Deo genitum eſſe, & tamen utrumque unam Sapientiam, unam Veritatem eſſentialiter Deum eſſe: cum tamen conſtet id a SS. Patribus eidem Symbolo inditum non eſſe?* Objicientibus Legatis cantandi Symboli datam eſſe ab ipſo Pontifice licentiam, reſpondet ille: *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quippiam addendi, minuendi, ſeu mutandi, & ut expreſſius aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc ſatis fuit, quomodo in hujuſmodi cantando vel celebrando Sacroſanctis Myſteriis Sancta Romana tenet Eccleſia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occaſionem neceſſe fuit ingerere. Quod*

vero

vero aſſeritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? Nos enim idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inſerendo præſumimus. Quæ vero prædictis Symbolis Fidei tantum non congruentia deeſſe cognoſcimus, non (ut ſæpe dictum eſt) inſerere præſumimus, ſed locis temporibuſve opportunis, quibus competit, miniſtrare curamus.

Objiciunt *Photius*, ceterique Schiſmatici Synodum Conſtantinopolitanam ſub *Joanne VIII.* celebratam, in qua Legati Apoſtolici ſymbolo Fidei, quo Spiritus ſanctus tantum dicebatur a Patre procedere, ſubſcripſere; & ne aliquid Symbolo Fidei adderetur, vetitum eſt.

Reſpondeo, Synodum illam non fuiſſe legitimam, cui *Photius* præfuit, depravatis Litteris Romani Pontificis, Octavamque Synodum Œcumenicam damnavit, & in qua Legati mandata Sedis Apoſtolicæ violarunt, & Eccleſiæ cauſſam prodidere. Nec tamen ulla mentio de Proceſſione Spiritus ſancti, aut de adjectione ad Symbolum, hac in Synodo facta eſt. „ Si quis enim in extremo „ Geſtorum Synodi ipſius ordine de additio- „ ne dictum putat, quod ſcilicet non opor- „ teat auferre vel addere; quod etiam qui- „ dam ad ſeducendos ſimpliciores obtendunt: „ ſciendum eſt hoc a quibuſdam poſtea Ge- „ ſtis.

„ ſtis Synodalibus appoſitum, hinc oſtendere
„ nitentibus, hujuſmodi additionem fuiſſe
„ prohibitam. Hoc autem rationem non ha-
„ bere, perſpicum eſt. Primum quidem,
„ quoniam in Geſtis hujus Synodi Commen-
„ tariolum quoddam eſt eorum, quæ in eo
„ Concilio erant diſcutienda, expoſitionem
„ per ordinem continens, quod Legati Sy-
„ nodo propoſuerunt: Commentarium ſibi
„ a Summo Pontifice datum aſſerentes, ut
„ meminiſſent quæ in ea Synodo vel dicen-
„ da, vel facienda eſſent. Neque enim in
„ eo quidquam de additione, vel de Symbo-
„ lo omnino ſcriptum eſt. Et certe id in pri-
„ ma ſtatim fronte ponendum fuit: ſive a
„ Romano Pontifice illis de hoc fuiſſet quid-
„ quam imperatum, ſive etiam Synodus il-
„ la, quam quadrigentorum ferme Epiſcopo-
„ rum implebat numerus, blaſphemam hanc
„ additionem putabat, cur non principaliter
„ de illa verba fecit? Ita enim in præceden-
„ tibus Synodis de Fide primo loco ſemper
„ agebatur. Cur autem in Deum blaſphe-
„ mantibus conveniebant, ipſiſque de con-
„ cordia ad invicem tuenda obtemperabant,
„ vel omnino ſub ſilentio ſe continebant?
„ Quando vero nihil dixiſſe comprobantur,
„ cui non perſpicuum ſit veram eos illam ad-
„ ditionem exiſtimaſſet? Neque enim dici
„ poteſt eos ignoraſſe, Latinos cum additione
„ Symbolum legere, cum id Oriens totus
„ jam tunc, ſaltem e B. Maximi tempori-
„ bus

„ bus didicerit? Deinde, ut concedamus, „ Photium additionem non admiſiſſe: ratio- „ nabile certe non erat poſteaquam a Roma- „ no Pontifice Patriarcha confirmatus fuerat, „ verbum de additione movere: ne vix tan- „ dem voti compos effectus, per illum rurſus „ abrogatus, amitteret omnia... Et illud „ autem indicant adjectum a quibuſdam, „ quod poſt plurima, Imperatorum anni, „ ſubſcriptioneſque Epiſcoporum annotatæ „ ſint, & gloria reddita ſit Deo pro Eccleſiæ „ unione. Quæ omnia in fine Geſtorum Sy- „ nodalium ſcribuntur. Quod autem de non „ adjiciendo vel auferendo adjectum eſt, ſeor- „ ſim poſitum, & ab aliis aperte disjunctum „ & ſeparatum eſt. Non igitur ſuſcipiendum „ eſt, poſt eorum, quæ inquirebantur, eno- „ dationem, poſt compoſitas res, poſt finem „ denique Concilii, poſt illa quæ in fine Sy- „ nodorum apponi conſueverunt, rurſum il- „ los putare de his agere cœpiſſe, de quibus „ nulla eſſet facta mentio. Aut enim princi- „ paliter ea res agenda fuit, aut non ita præte- „ reunter, & intempeſtive, & præter locum „ debitum agenda. Ita reſpondet Manuel „ Calecas lib. 4. contra Græcos.

Objicit *Photius*, Quis cultui initiatus Chriſtiano, ferre queat duplicem in Trinitate cauſſam dari, Patrem nempe cauſſam Filii & Spiritus? Spiritus autem cauſſam Filium? Hoc eſt, inquit, Monarchiam in duplicem Deitatem diſſolvere.

Præ-

Præterea. Si proprium ſit Spiritus ſolius, in diverſa principia relationem habere; ſolius erit Spiritus principium habere multiplex & non unum.

Tertio, Spiritus procedit a Filio? Utrumne eadem Proceſſione, an adverſa Proceſſione a Patre? Si eadem, quomodo non communicantur proprietates? Si contraria, in Marcionis & Manetis hæreſim impingitur.

Reſpondeo, Non eſſe duplicem cauſſam (ut Græci loquuntur) id eſt, Principium duplex Spiritus ſancti, quia vis eadem ſpirativa eſt Patris & Filii: ad quos unica relatione refertur Spiritus ſanctus, ut ad unum Principium, ſicut & eadem Proceſſione ab utroque procedit, ut amborum communis amor. Nec propterea communicantur proprietates, immo communicarentur, niſi Spiritus ſanctus a Filio procederet, quia nulla Filium inter & Spiritum ſanctum intercederet relatio, quæ in ſola origine fundatur. „ Non igitur ſimpliciter aliqua duo ſunt Pater & Filius, ex quibus Spiritus ſanctus provenit. Nam neque duæ res propriæ ſunt, ſed una; neque duæ ſubſtantiæ, ſed una; neque duo principia ſed unum; neque duo Dii, vel Domini, ſeu Sancti, ſed unus Deus, unus Dominus, unus Sanctus. Unde patet, quod ſecundum quid duo dicuntur, Pater, & Filius, veluti duæ Perſonæ, duæ hypoſtaſes. Igitur cum hæ duæ Perſonæ non ſint duo principia, neque duo ſimpliciter, manifeſtum,

„ quid-

„ quidquid ab iis provenit, ex duobus mini-
„ me prodire principiis, poſito & conceſſo
„ Spirirum ſanctum ex utroque procedere.
„ Atque ideo impoſſibile eſt colligi duo prin-
„ cipia eſſe Patrem cum Filio. *Id illuſtratur*
„ *exemplis*. Eadem ſubſtantia ſemen, fru-
„ ctus, & eſca dici poteſt: ſemen, reſpectu
„ ſerendæ telluris; fructus, reſpectu præteri-
„ tæ meſſis: eſca vero, ut in corporis per-
„ mutanda ſubſtantiam. *Nec tamen recte col-*
„ *ligitur*; ſi eſca ex ſemine & fructu prove-
„ niat, quod ex duobus ideo principiis pro-
„ grediatur. Quippe non ſunt duo ſemen &
„ fructus, niſi ratione; quemadmodum aſcen-
„ ſio & deſcenſio: via ſcilicet Thebis Athe-
„ nas,& Athenis Thebas... Sic quidem Pater
„ & Filius unum ambo principium exiſtunt
„ Spiritus ſancti,neque ideo colligitur Patrem
„ eſſe Filium, vel Filium Patrem, ſeu ambos
„ duo principia.,,Ita reſpondet *Hugo Etherianus* lib.1. *De hæreſibus quas in Latinos Græci devolvunt*, cap.4. Qui & inde perperam colligi oſtendit perſonalium proprietatum confuſionem. *Quemadmodum enim Pater, non in eo quod Pater, emittit: ita & Filius, non in eo quod* Filius, *cauſſa principiumque Spiritus*. Id exponit exemplo. *Si enim Dei & hominis Filius una Perſona eſt, & divina humanaque natura unus Chriſtus: non debet inopinabile, duas Perſonas unam Spiritus ſancti cauſam eſſe, videri*. Sic ille, *lib.* 2. *cap.* 4.

Id rurſus alio illuſtratur exemplo. Tres

E Per-

Perſonæ mundum hunc, creataſque res univerſas producunt: neque tamen aut non perſonæ tres ſunt invicem diſtinctæ; aut cauſſæ tres, principiaque ſunt. Eccur? Quia non ea ratione res creatas producunt, qua mutuo differunt, ſed quatenus in eamdem eſſentiam & vim procreatricem conveniunt. Sic Pater, & Filius, etſi duæ perſonæ ſint, non tamen pricipia ſunt duo Spiritus ſancti, quia unam eamdemque numero ſpirandi vim habent. Id egregie explicat *S. Anſelmus*; lib. De Proceſſione Spiritus ſancti, cap. 9. „Quemadmo-
„ dum igitur lacus non eſt de hoc, unde di-
„ verſi ſunt ab invicem fons & rivus; ſed
„ de aqua in qua unum ſunt. Si ergo non ma-
„ gis eſt Pater hoc, unde Spiritus ſanctus
„ eſt, quam Filius, intelligi nequit, cur
„ magis ſit de Patre, quam de Filio. Quod
„ ſi dicunt, non eum eſſe poſſe de duabus
„ cauſſis, ſive ex duobus principiis; re-
„ ſpondemus. Quoniam ſicut non credimus
„ Spiritum ſanctum eſſe de hoc; unde duo
„ ſunt Pater, & Filius, ſed de hoc in quo
„ unum ſunt, ita non dicimus duo ejus prin-
„ cipia, ſed unum principium. Quippe cum
„ dicimus, Deum principium creaturæ, in-
„ telligimus Patrem, & Filium, & Spiritum
„ ſanctum unum principium, non tria princi-
„ pia, ſicut unum Creatorem, non tres Crea-
„ tores; quamvis tres ſint, Pater, & Filius,
„ & Spiritus ſanctus; quoniam per hoc in quo
„ unum ſunt, non per hoc in quo tres ſunt,
„ eſt

„ eſt Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus,
„ principium ſive Creator. Sicut igitur quam-
„ vis Pater ſit principium, & Filius ſit prin-
„ cipium, Spiritus ſanctus ſit principium,
„ non tamen ſunt tria principia, ſed unum:
„ ita cum Spiritus ſanctus dicitur eſſe de Pa-
„ tre, & Filio, non eſt de duobus principiis,
„ ſed de uno, quod eſt Pater, & Filius.

Addit *Manuel Calecas* lib. 3. contra Græcos. „ Tantum vero abeſt, ut Romani &
„ Latini duo Spiritus principia, duoſve pro-
„ ceſſus confiteantur, ut eos quoque anathe-
„ matizent, qui talia dicere præſumunt.
„ Denique in Lugdunenſi Concilio, Græcis,
„ Latiniſque congregatis, hæc ſententia pro-
„ mulgata eſt: quam plurimis in locis, Græ-
„ cis, Latiniſque inſcriptam litteris & libris,
„ facile, qui quærit, invenit.

Gregor. X. in Generali Concilio Lugdunenſi, Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit: Hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacro-ſancta Romana Eccleſia, Mater omnium Fidelium & Magiſtra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis ignorantiam veritatis in errores va-

rios prolapſi ſunt, nos hujuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere; ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno procedat.

Objicit *Photius*. Si Spiritus ſancti ſpiratio commune quiddam eſt Patri, & Filio, Spiritus ſanctus pluribus proprietatibus diſtinguitur a Patre, quam Filius; ideoque proximior erit Paternæ ſubſtantiæ Filius quam Spiritus ſanctus. Id Photiani ſchiſmatis hæredes alio modo proponunt apud Manuelem Calecam lib. 3. contra Græcos. *Si Spiritus ſanctus etiam ex* Filio *procedit, major quidem Spiritu* Filius *erit, ſecundum cauſſam; eritque tertius a Patre. Ac Filius quidem ſimilior Patri, utpote ex ipſo ſine medio exiſtens. Spiritus vero Patri diſſimilior: neque ita idem ſicut & Filius. Erit etiam* Filio *minor, quippe qui per illum majorem connectitur Patri. Et Filius quidem minorem diſtantiam habebit ad Patrem. Spitrius autem majorem, maxime cum nullius cauſſa ſit.*

Reſpondeo, nego conſecutionem antecedentis. Sola enim Proceſſione, ſive Spiratione paſſiva diſtinguitur a Patre & Filio Spiritus ſanctus. Nec Paternæ ſubſtantiæ unus altero proximior eſt, cum uterque a Patre immediate

diate procedat, ab eoque divinitatem totam accipiat, ſed ille naſcendo; iſte procedendo. Quamquam non ita immediate ſe habet ad Patrem Spiritus ſanctus, ſi perſonarum ordo ſpectetur. „ At iſta ſacris Doctoribus „ potius imputanda ſunt, ſiquidem abſurda „ videantur. Ipſi quippe ſunt, qui Spiritum „ a Patre tertium docent, ſumpta ſcilicet ab „ ipſo Domino occaſione in ſalutaris traditio„ ne Baptiſmatis, ac per Filium procedere „ dicunt, perque ipſum Patri conjungi. „ Majorem quoque Filium Spiritu ſancto, „ magnus ait Athanaſius. Quod ſi iſta a San„ ctis dicta ſunt: omnino nulla eos, qui iſta „ dicunt, abſurditas ſequitur. Prætereaque „ Spiritus ſanctus ſi a Patre quidem alio pro„ ceſſu: a Filio autem alio procederet, eſ„ ſetque proceſſus ex ambobus duplex, for„ taſſis haberet rationem, culpare differen„ tiam proceſſuum: quod etiam differenter „ a Patre & Filio diſtaret Spiritus; ac pro„ pterea gradus in perſonis quoſdam cogita„ re. Sin vero unus idemque ſibi ab utroque „ proceſſus eſt, ſimiliter etiam ad utrumque „ refertur. Itaque aut ſimiliter utrique æqua„ lis erit, nihilque diſtans atque diſſimilis. „ Sed enim, quemadmodum Pater non ma„ gis perfectus eſt quam Filius, quod ille „ cauſſa, iſte cauſſalis ſit: neque ideo ab il„ lo diſtat, etſi ſecundus ab eo cauſſæ ratio„ ne dicitur; Divinitas enim in utroque una: „ ita & Spiritus ſanctus, etſi juxta unicum

„ ejus ſimplicemque Proceſſum, ex Patre „ per Filium eſt, & ad Patrem & Filium veluti ad unum productorem ſpirantemque „ refertur; quorum & Spiritus eſt, & ſpiraculum dicitur. Non tamen minor eſt Filio, „ neque Patre minor erit, licet per Filium „ Patri conjungatur: alioquin & Filius erit „ diſſimilis Patri, eo quod cauſſalis ſit; etſi „ non ita ſicut Spiritus, juxta tamen proportionis rationem. Ft ſicuti Pater, cauſſæ „ ratione, Filio major a pleriſque Patribus „ aſſeritur, neque idcirco tamen Patre minor eſt Filius: ita & Filius, etſi major Spiritu dicitur, non tamen propterea Spiritus „ ipſo erit minor. Quocirca Magnus quoque „ Baſilius dicebat. *Etſi Filio ſuccedit ordine „ & dignitate, non tamen alienæ naturæ eſt*. „ Iſta enim propter cauſſæ & cauſſalis ad invicem ordinem & relationem dicuntur. „ Ordo autem & ad aliquid quomodolibet „ habere, naturarum non facit differentiam. „ Nam verbi gratia, eo quod amicus ſit, „ vel vicinus, vel magiſter, nihil in ſe ipſum „ alicui accedit, ut propter habitum perfectior in ſe ipſo ſecundum eſſentiam ſit. „ Neque ſi quiſpiam filium ac nepotem habeat, tertius maxime erit vel ſimilior, vel „ diſſimilior avo ſecundum eſſentiam, quam „ filius. Quod ſi in rebus humanis ita contingit, multo magis in divinis perſonis, ubi „ una aſſeritur natura, ac præter ſolam, quæ „ ſecundum cauſſam & cauſſale eſt differen-

„ tiam,

„ tiam, nulla alia diſcretio eſt. *Ita reſpondet*
„ Manuel Calecas *lib. 3. contra Græcos*.

Brevius id explicat *Beſſario Cardinalis* in Refutatione Antirrhetici *Palamæ* adverſus duodecim *Joannis Becci* Capita. „ Jam ve-
„ ro, *inquit*, ſi quis ad ſingularem emiſſio-
„ nem, & identitatem Proceſſionis ex utro-
„ que reſpiciat; tum hoc animadvertat, Pa-
„ trem eſſe fontem & cauſſam divinitatis,
„ immediate ex Patre eſſe Spiritum inveniet;
„ eoque pertinere quas affert ſententias. Sin
„ ordinem conſideret, qui reipſa ineſt in
„ Trinitate, nec ſola noſtra cognitione con-
„ ſtat; medium videbit eſſe Filium, & ter-
„ tium a Patre Spiritum, ac per Filium a Pa-
„ tre procedentem, ac priorem ſe cogitatio-
„ ne habentem Filium, quemadmodum Pa-
„ trem habet Filius.

Objiciunt Schiſmatici. Una erit Patris & Filii perſona, ſi ſpiratio Spiritus ſancti ſit utrique communis, cum perſonæ proprietatibus diſtinguantur.

Reſpondet *Gennadus* Conſtantinopolitanus Patriarcha, in Expoſitione pro Concilio Florentino, cap. 1. Sectione 10. id nequaquam eſſe conſequens, quia ſpiratio non eſt proprietas conſtitutiva Patris & Filii, ſive proprietas hypoſtatica, ſed notionalis. „ Si, *inquit*,
„ perſonale, ſive hypoſtaticum perſonæ Pa-
„ tris actum producendi poneremus, tunc
„ utique id inconveniens ſequeretur, vere-
„ que eſſet Filius una cum Patre perſona

„ conſtitutivæ proprietatis cum eo communi-
„ cans. Sed quia perſonæ Patris conſtitutiva
„ proprietas Paternitas & generatio dicta eſt
„ eſſe; producere vero proprietas, ſive no-
„ tio quæ ſequitur perſonam conſtitutam
„ ipſius, quæ neceſſitas eſt, eum qui cum illo
„ communem habet eam proprietatem, quæ
„ perſonæ ejus conſtitutiva non eſt, unam
„ eſſe cum eo perſonam? Nam ſicuti com-
„ municans cum Patre Filius, ſcilicet Spi-
„ ritum ejus eſſe, quemadmodum & Patris,
„ & mitti ab eo, quemadmodum & a Patre;
„ tamen non cum eo perſonas communicat,
„ quia Spiritum dici Patris, vel ab eo mitti,
„ non eſt Paternæ Perſonæ conſtitutivum; ſic
„ neque qui productionem cum Patre com-
„ munem habet in unam perſonam conjungi-
„ tur, quia producere non eſt Paternæ Per-
„ ſonæ conſtitutivum. Quod ſi mirum eſt duas
„ perſonas unum eſſe Principium & non con-
„ jungi; magis mirum erit quod tres perſo-
„ næ ſint unum principium, nec conjun-
„ gantur.

Objicit *Photius*. Si Spiritus ſanctus a Patre procedit & Filio, in duplicem exiſtentiæ ſuæ cauſſam relatus, non evadet quin & compoſitus ſit.

Reſpondet *Manuel Calecas* lib. 3. contra Græcos, primum id ipſos Patribus objicere debuiſſe, quid id quod dicitur; *De meo accipiet*, pro eo quod eſt, *Ex Filio*, expoſuere. Deinde Spiritum ſanctum aliud a Patre, aliud a Fi-

a Filio non accipere . „ Sive igitur per ſe quis
„ compoſitionem vult, nihil aliud quam eſ-
„ ſentiam, & eſſe, & quod eſt, accipit.
„ Eſſe vero & eſſentia Sancti ſpiritus, &
„ quod eſt, unum quiddam & ſimplex eſt:
„ ſive propter eos qui dant aut producunt,
„ unũ eſt Pater & Filius. Non enim in quan-
„ tum duo ſunt, ſed in quantum unum, ex
„ Patre & Filio eſt Spiritus ſanctus: ſed
„ quemadmodum Filius totus ex toto; ita
„ & Spiritus totus ex toto aſſeritur. Neque
„ aliud quidem totum Pater, aliud autem
„ totum Filius; ſed unum totum eſt juxta fi-
„ dei poſitionem, gignendi ac naſcendi di-
„ ſcretione ſervata. Nullo ergo modo com-
„ poſitionem cogitare licet. Quamquam
„ etiam ſi pluſquam tres perſonæ eſſet Deus,
„ nulla neceſſitas compoſitionis eſſet, & quod
„ extremum, Proceſſionis ordine a ſingulis
„ acciperet. Non enim dantium multitudi-
„ ne, ſed ex eorum qui dant, eorumque:
„ quæ inſunt, differentia, compoſitio judica-
„ tur. Si autem, quæ dantur, differentia
„ ſunt, & quæ inſunt differre neceſſe eſt:
„ atque ita compoſitum erit, quod ex hu-
„ juſmodi conſtabit: quod in Sancto ſpiritu
„ nuſquam habet locum.

Objicit Photius: Quorſum e Filio procedet Spiritus ſanctus, ſi Proceſſio a Patre ſit perfecta? Eſt autem perfecta; quia perfectus Deus a Deo perfecto. Quæ autem illa a Filio Proceſſio & quam ob rem?

Reſpondet *Beſſario* lib. *De Proceſſione Spiritus ſancti*, hanc objectionem erroneo niti fundamento, quod nimirum Pater & Filius duo ſint diſtincta Spiritus ſancti principia, duæque ſint ſpirationes, quibus Spiritum ſanctum producunt. Sed cum unica ſit & ſingularis vis ſpiratrix, una & ſingularis ſpiratio, una & ſingularis Spiritus ab utroque Proceſſio, nulla inter ipſos & eorum actiones comparatio fieri poteſt.

Idem ante *Beſſarionem* reſponderat *Manuel Calecas* lib. 3. contra Græcos, additque eumdem Paralogiſmum poſſe in Græcos retorqueri. *Nam ſi perfecte a Patre mittitur Spiritus ſanctus, ſuperfluum erit & a Filio mitti: ſin autem imperfecte; non ergo perfectus eſt Pater. Et ſi perfecte omnia a Patre creata ſunt, quid neceſſe fuit dicere:* Omnia per ipſum facta ſunt? *ſin autem imperfecte; contra Patrem blaſphema nihilominus ora laxabunt.*

Præterea viciſſim illi interrogandi ſunt, *An perfecta ſit mundi ex Patre creatio vel non? Si perfecta, cur Filius & Spiritus ſanctus cauſſa ejus ſunt? At ſi imperfecta, & ideo Filius & Spiritus aſſumuntur, animadvertant quid affirment. Sed perfecta, ut arbitror, eſt ex Patre entium productio, una & eadem numero Filii & Spiritus ad ea producenda operatio, neque alia eſt illius, alia horum. Sic ergo & his evenit; perfecta eſt, & magis quam perfecta eſt ex Patre Spiritus ſancti Proceſſio: una & eadem numero eſt, quæ eſt ex*

co-

eodem Filio Proceſſio ... Cum una & eadem numero poteſtate uterq; producat.

Objicit *Photius*. Si omnia Patris, & Filii communia ſunt, certe ea quæ Spiritum ſpectant, ſunt etiam communia; nempe Deus, Rex, Creator, Omnipotens, &c. Quod ſi Proceſſio Spiritus ſancti ſit Patri communis atque Filio; tum a ſeipſo procedet Spiritus ſanctus, ipſe ſibi principium erit.

Reſpondeo, abſoluta omnia attributa perſonis tribus eſſe communia, & quæ ad creaturas ordinem habent, ut Creator, Dominus &c. Non autem proprietates perſonarum. Harum enim quædam ſunt hypoſtaticæ, quas *Hugo Etherianus* vocat *perſonarum inſignitivas*, ſive quæ perſonas conſtituunt, cujuſmodi tres ſolæ in Deo reperiuntur, ſcilicet Paternitas, Filiatio, & Proceſſio. Aliæ ſunt notionales, quæ non conſtituunt, ſed indicant perſonas, & harum nonnullæ uni perſonæ tantum conveniunt, ut eſſe ingenitum, Patri; aliæ duobus, ut ſpiratio activa Patri & Filio.

Nec vero conſequens eſt, etiam Spiritum ſanctum ſuæ Proceſſionis auctorem futurum; quia eamdem habet eſſentiam cum Patre & Filio. Siquidem non præciſe id eſſentiæ divinæ convenit, qua eſſentia eſt, ut producat Spiritum ſanctum, ſed eſſentia qua Paternitate, Filiationeque affecta eſt & modificata; quibuſcum ſpirandi proprietas complexa eſt, ut Theologia docet.

Objicit *Nicolaus Metonenſis*, apud Hugo-

nem Etherianum, lib. 11. Si quia natura unum ſunt Pater, & Filius, ideo ut ex Patre, ita ex Filio dandum eſt procedere Spiritum ſanctum, conſequens erit & Filium ex Spiritu ſancto, ſicut ex Patre geneari, quia Pater & Spiritus ſanctus unum ſunt natura.

Reſpondet *Hugo Etherianus*, Latinos non ideo aſſerere, Spiritum ex Filio eſſe, quod Pater & Filius unus Deus ſint; ſed propterea propugnare ipſius ex utroque Proceſſionem, *Quia æqualiter Filii atque Patris exiſtit, non condibiliter, non naſcibiliter, non poſſeſſive, ſed ſimiliter amborum eſt, nequaquam ut actus, & opus eſt hominis, ſed quodammodo ut radii alma lux exiſtit & Solis*,.. Quamobrem conſequens non eſt ut Filius ſit ex Patre, & Spiritu ſancto, pro unitate naturæ, ſicut Spiritus ſanctus eſt ex Patre, & Filio propter unitatem virtutis ſpiratricis. *In quibus enim nihil indignum, nec indecens Divinas perſonas conſequitur, in his Patrem dicimus cauſſam, & Filium concauſſam, nec aliqua injuria Filio, Patrive, aut Sancto ſpiritui corrogatur. Nam in legationibus & donationibus Spiritus, ſemper Patris Filius conſors eſt. At Spiritum dicere Patrem, ſeu Filium Spiritum appellare, execrabile, profanumque eſt.* Sed *propoſitio quæ dicit, Emiſſionem Spiritus Patri, & Filio communem eſſe, proprium Paternæ Perſonæ, quo aptus natus eſt inſigniri Pater ſolus, non interimit*. Sicut interimeret proprietatem inſignitivam Fili Proceſſio ex Spiritu ſancto

Obji-

Objiciunt Schiſmatici Græci. Si ex Patre eſt Filius; ex Patre autem & Filio Spiritus ſanctus; nepos Patris Spiritus.

Reſpondent Catholici Doctores, id non eſſe conſequens. Nam ut nepos quiſpiam ſit, gigni eum oportet a patre, & diverſa quidem generatione ab illa, qua is, qui nepotem proxime genuit pater, a ſuo patre, nepotis avo, genitus eſt. At Spiritus ſancti Proceſſio neque generatio eſt, neque Patris & Filii actio diverſa.

Objiciunt Græci Schiſmatici poſt ſuum *Photium* illa Chriſti verba, Joan. XV. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

Reſpondet *Hugo Etherianus*, lib. 3. Morem hunc eſſe Scripturæ Sacræ ut quædam certis perſonis attribuat, quæ aliis æquo jure conveniunt. De Filio enim ſcriptum eſt. *Erat lux vera. Nec ideo falſa lux eſt Pater vel Spiritus: tres enim perſonæ unum lumen exiſtunt indifferenter & indemutabiliter: quia nihil minorationis habet Filius ex eo quod dicit:* „ Omnia quæ dediſti mihi. *Sicut nec Pater, ex eo quod ſcriptum eſt.* „ Cum tradiderit Filius Regnum Deo & Patri. *Quia non ei ut poſſeſſionem donando tribuit, sed ut Filio & hæredi univerſorum quæ Patris ſunt, Chriſto ſcilicet qui eſt Dei Virtus & Dei Sapientia. Amplius, de conſummatione Salvator Diſcipulos inſtruens dicit.* „ De die illa & hora nullus ſcit, neque

„ An-

„ Angeli in cælo, niſi Pater ſolus. *Quis cogitet Filium exceptum eſſe, ſeu Spiritum, ab illa cognitione? ... Igitur ſicut falſum eſt, Dominum non habere conſummatiſſimam illorum temporum, & illius diei ſcientiam, quod dixit.* „ Nemo novit niſi Pater ſolus: *Et*, Quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: *ita non eſt credendum, Filium non emittere Spiritum, quod is dixerit:* „ Qui a Patre procedit; *& non adjecerit, a ſe Filio. Quod ſi pro eo quod ibi ſcriptum eſt, manifeſte Spiritum ex Filio procedere, credere non oportet; propter eamdem cauſſam neque dicendum, neque credendum erit quod Spiritus apud Deum erat.* In principio erat, *Deus ex Deo erat lumen verum, terræ cælique factor, & quod Deus Trinitas ſit, tres quoque Perſonæ unus Deus: cum neque hoc nomen* Perſona, *neque hoc nomen*, Trinitas, *Sancti Symboli editio expreſſit. Amplius:* „ Quicumque, *inquit Apoſtolus*, in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *At nuſquam ſine Spiritu ſanctificatio perficitur, ſed in Filio Patrem Spiritumque ſignificavit. Et alibi.* „ Nemo cognovit Patrem niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare. *Quo in loco Spiritus non nominatur & tamen intelligitur. Nam Spiritus ſanctus & Filium cognoſcit & Patrem. Apud Matthæum loquitur Salvator.*
„ Si ergo vos, cum ſitis mali, ſcitis bona da-
„ ta dare filiis veſtris; quanto magis Pater
„ veſter qui eſt in cælis dabit bona petentibus
ſe? *Ergo non dabit eadem Filius bona? Et ite-*

iterum. „ Non enim vos eſtis qui loquimini, „ ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Numquid dum Patris Spiritum eſſe profitetur, eumdem Filii abnegat eſſe? ſed ſcriptum eſt*: Spiritum Filii ſui miſit. *Si ergo in memorato capitulo ſcilicet*, Spiritus qui a Patre procedit, *intelligendum eſt*, ſolo: *hoc intelligendum eſt*, ſolius & ſolum: *ut ſyllogiſtica neceſſitate inferri poſſit, Spiritum eſſe Patris ſolius, & non ſolius; & Filii ſolius, & non ſolius. Igitur ubicumque de Patre dicitur aliquid, niſi ad perſonalis diſtinctionem proprietatis vocabulum Patris proferatur, ut eſt. Pater dicitur, quia generat, quo in loco non ſubintelligitur cum eo generare Filius; idem de Filio intelligi oportet. Unde cum dicitur. Qui a Patre procedit*: qui non nominatur cum Patre ſubintelligitur neceſſario.

Ceteras Græcorum Schiſmaticorum argutiolas, & levis momenti paralogiſmos, ſcilicet *Photii*, *Nicolai* Methonenſis Epiſcopi, *Nicetæ* Philoſophi Byzantini, *Euſtratii* Metropolitæ Nicæni, *Maximi Planudis*, *Nicolai Cabaſilæ*, *Andronici Sebaſti*, *Nili* Theſſalonicenſis Archiepiſcopi, *Marci* Epheſini Metropolitæ, *Palamæ*, *Germani* Conſtantinolitani Patriarchæ, *Metrophanis* Epiſcopi Smyrnenſis, *Maximi Margunii*, confutatos legere potes apud *Hugonem Etherianum*, in libris tribus de Hæreſibus quas Græci in Latinos devolvunt, S. *Thomam* in Opuſculo contra Græcos, *Joannem Beccum* Patriarcham Conſtan.

ſtantinopolitanum, *Demetrium Cydonium*, *Manuelem Calecam* in libris quatuor adverſus Græcos, *Joannem* Ordinis FF. Prædicatorum Provincialem Provinciæ Lombardiæ, cauſſæ Latinorum in Synodo Florentina Patronum, cum in ejuſdem Synodi Actis, tum in lib. de Proceſſione Spiritus ſancti, *Beſſarionem* Cardinalem lib. de Proceſſione Spiritus ſancti, ad Alexium Laſcarim; *Gregorium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, & *Gennadium* ejuſdem Urbis Patriarcham, in Expoſitione pro Concilio Florentino, cap. 1.

Ex quibus omnibus compertum eſt, quam recte in Concilio Lugdunenſi I. ſub *Gregorio X.* & in Concilio Florentino ſub *Eugenio IV.* definiverit Eccleſia, Spiritum ſanctum a Patre & Filio procedere. Verba Lugdunenſis Concilii ſupra dedimus. Concilii Florentini verba in Definitione Fidei ſubjicimus. „ In nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, „ & Spiritus ſancti (*inquit Eugenius*) hoc „ ſacro univerſali approbante Florentino „ Concilio, diffinimus, ut hæc Fidei veritas „ ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter „ eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex „ utroque æternaliter tamquam ab uno Principio, & unica ſpiratione procedit; declarantes quod id, quod Sancti Doctores & Patres dicunt, Ex Patre per Filium procede-

„ re

„ re Spiritum ſanctum, ad hanc intelligen-
„ tiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium
„ quoque eſſe ſecundum Græcos quidem
„ cauſſam, ſecundum Latinos vero princi-
„ pium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti ſicut &
„ Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt
„ Pater ipſe unigenito Filio ſuo, gignendo
„ dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod
„ Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Fi-
„ lius a Patre æternaliter habet, a quo etiam
„ æternaliter genitus eſt.

ASSERTIO SECUNDA.

Additio Particulæ, FILIOQUE, *ad Symbolum, jure facta eſt, nec Latini propterea violati Symboli rei dici poſſunt. Ratio igitur legitima hæc nequaquam fuit, cur Græci a Romanæ & totius Occidentalis Eccleſiæ Communione deficerent.*

DE tempore hujus ad Symbolum factæ acceſſionis nobis hic diſſerendi conſtitutum non eſt. Hoc tantum adnotabimus, in Hiſpanias, vertente ſæculo ſexto, jam inductam, cum legatur in Concilio Toletano III. ſub *Reccaredo* Rege, anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-nono, in quo Symbolum Conſtantinopolitanum a Rege cum hac additione recitatur. In Concilio Toletano Quarto, anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſi-

geſimo-tertio legitur non quidem in Symbolo, ſed in Expoſitione Fidei c. 1. In Concilio Toletano Sexto legitur pariter, non in Symbolo, ſed c. 1. quo explicatur doctrina Fidei. In Concilio Toletano VIII. ſub *Receſvinto* Rege, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio Symbolum recenſetur, prout in ſacris Miſſarum ſollemniis in Eccleſiis Hiſpaniæ recitari conſueverat, in eoque hæc habentur de Spiritu ſancto. *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum, vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem*. Legitur & in Profeſſione Fidei edita a Patribus Concilii Toletani XII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, & Concilii Toletani XIII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio & Toletani XV. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octavo, Et XVII. anno ſexcenteſimo nonageſimo-quarto. In Concilio Forojulienſi ſub *Paulino* Patriarcha habito anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo in Symbolo Fidei hæc de Spiritu ſancto leguntur. *Qui ex Patre Filioque procedit*. De additione illa Miſſi *Caroli Magni*, Bernarius, & Jeſſe, Epiſcopi, & Adalardus Corbejenſis Abbas, anno Chriſti octingenteſimo-nono cum *Leone III.* Pontifice Maximo Romæ diſceptarunt. Qua ex Collatione ſuperius nonnulla recenſuimus, quæ hic repetere ſuperfluum eſſe judicamus. Quæſtio de Proceſſione Spiritus ſancti agitata fuerat in Synodo Aquiſgranenſi, eodem anno, quam *Joannes* quidam

dam Hieroſolymitanus Monachus commoverat, teſte *Adone* Viennenſi in Chronico, cui & *Regino* Abbas ſuffragatur.

Sanctum Henricum Imperatorem auctorem fuiſſe Benedicto Octavo Pontifici Maximo, ut hæc verba *Filioque*, ad Symbolum adderet, illudque eo cum additamento juberet Romæ decantari, aſſerit *Ludovicus Maimbourg* in Hiſtoria Schiſmatis Græcorum, lib. 11. teſtemque laudat *Bernonem* Augienſem Abbatem in lib. de Rebus ad Miſſam ſpectantibus. At de hac additione ſilet omnino Abbas *Berno*, cujus hæc ſunt verba cap. 11. *Si ideo illum Angelicum Hymnum prohibemur in feſtivis diebus canere, eo quod Romanorum Presbyteri non ſolent eum canere, poſſumus ſimili modo, poſt Evangelium, Symbolum reticere, quod Romani uſque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram aſſiſtente, audivi eos hujuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta; ſed ſecundum Sancti Petri Doctrinam in ſoliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſiit, quod omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent. Sed utrum hanc conſuetudinem ſervent adhuc, affirmare*

mare non poſſumus, quia certum non tenemus. Non minus falſum eſt quod ibi aſſerit *L.Maimbourg*, Benedictum VIII. in Synodo Romæ celebrata, additionem verborum, *Filioque*, ad Symbolum approbaſſe. Nulla enim Synodi iſtius, aut Decreti in Monumentis Eccleſiaſticis mentio penitus occurrit, nec *P. Coſſartius*, Societati Jeſu Presbyter, qui cœptam a *P.Labbé* Conciliorum poſtremam Collectionem ſtudioſe continuavit, unquam hujuſmodi memorat Synodum. Laudat *L.Maimbourg* ad marginem, *Hugonem Etherianum*, lib. 3. *de Hæreſibus*, cap. 16. & Concilium Florentinum Seſſione 7. Ferrariæ habita. Sed *Hugo Etherianus* ait, antiquioris Romæ Antiſtitem Symbolo hanc dictionem, *Filioque*, appoſuiſſe, *Sanctorum plurium Epiſcoporum, & ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito.* Pontificem vero non nominat, qui hujus auctor fuerit, nec ullo modo indicat fuiſſe *Benedictum VIII.* aut quo tempore id factum ſit. Nec etiam quo auctore Pontifice, & quando hæ voces ad Symbolum additæ ſint, vel leviter innuit. En ejus verba. *Hac ratione coacta fuit Romana Eccleſia, cum magnum videret impendere periculum: jam enim canebatur in Galliis & Hiſpaniis. Quare placuit Summo Pontifici, cum multorum Occidentalium Patrum conſenſu, qui nec dignitate tenues, nec modici erant numero, illud explicare quod dicimus, & ſicut in Symbolo canimus. Nec vero exiſtimavit Romana Eccleſia rem agere*

quæ

quæ dedeceret. Et inferius. *Unde Patres optimi, ſequitur, quod in Symbolo Romana dicit Eccleſia, neque additamentum eſſe, neque abrogatum, & juſtam explicationis illius cauſſam fuiſſe, Fidei veritatem, rei neceſſitatem, Romani Pontificis auctoritatem, tot tantorumque Patrum collectam Societatem*.

Hanc in additionem, quocumque tempore facta ſit, velut in Symboli interpolationem, Græci Schiſmatici impotenter debacchantur, Latinoſque illius auctores in Sacræ Synodi Epheſinæ Decretum peccaſſe inclamant. Cum enim *Chariſius* Philadelphiæ Presbyter Neſtorianam quamdam Fidei Expoſitionem ad Epheſinos Patres detuliſſet, ea perlecta & diris devota, ſancivere. *Alteram Fidem nemini licere proferre, vel conſcribere, aut componere, præter eam quæ definita eſt a SS. Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem auſi fuerint aut componere Fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex Judaiſmo, ſive ex quacumque hæreſi: hos quidem, ſi ſunt Epiſcopi, aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit. Si vero Laici fuerint, anathemati ſubjici*. Eadem repetit Synodus Chalcedonenſis in Definitione Fidei.

Idem confirmant ex Epiſtola *S. Cyrilli* ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur Cæli*, & Confeſſionem Fidei Orientalium continet. *Nullo autem modo patimur*, in-

inquit, *ut ab aliquo Fides illa ſive Fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum eſt. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam etiam ſyllabam præterire permittimus; memores ejus qui dixit.* „ Ne transferas terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. *Non enim ipſi locuti ſunt, ſed ipſe Spiritus Dei ac Patris qui procedit quidem ex ipſo; non eſt tamen ſecundum eſſentiæ rationem alienus a Filio.*

Id rurſus confirmant ex Synodo Chalcedonenſi, quæ Nicænum & Conſtantinopolitanum Symbolum ſufficere aſſerit, nec alias voces ad expoſitionem Fidei cenſet addendas Symbolo. „ Sufficeret quidem, *inquit*, ad „ plenam cognitionem & confirmationem „ pietatis hoc ſapiens & ſalutare divinæ gra„ tiæ Symbolum: de Patre enim, & Filio, „ & Spiritu ſancto perfectionem docet, ac „ Domini noſtri inhumanationem fideliter ac„ cipientibus repræſentat. Sed quoniam hi „ qui veritatis reprobare prædicationem co„ nantur, per proprias hæreſes novas voces „ genuerunt: alii quidem Myſterium Diſpen„ ſationis Domini, quæ propter nos facta eſt, „ corrumpere præſumentes, & vocem θεο„ τόκος de Virgine dici denegantes; alii au„ tem confuſionem & mixtionem introdu„ centes, &c. Propter hoc illis omnem ma„ chinationem contra veritatem volens clau„ dere Sancta, magna, & Oecumenica Synodus,

„ nodus, prædicationem hanc ab initio im-
„ mobilem, decrevit ante omnia, Fidem
„ integram, & intemeratam permanere tre-
„ centorum decem & octo SS. Patrum: &
„ confirmat doctrinam, quæ de ſubſtantia
„ Spiritus ſancti a Patribus centum quinqua-
„ ginta poſtea congregatis in Regia Civitate,
„ tradita eſt propter illos qui Spiritui ſancto
„ repugnabant; quam illi omnibus notam
„ fecerunt, non quaſi aliquid deeſſet priori-
„ bus, adjicientes; ſed ſuum de Spiritu ſan-
„ cto intellectum contra illos, qui domina-
„ tionem ejus reſpuere tentaverunt, Scriptu-
„ rarum teſtimoniis declarantes, &c.

Ne vero quis reſpondeat, prohiberi additionem quæ ſit contraria Symbolo, non quæ ejus expoſitio ſit, objiciunt Geſta Synodi Chalcedonenſis, Actione II. ubi cum Judices expoſitionem Fidei poſtulaſſent a Patribus, non quidem Symbolis Nicæno, & Conſtantinopolitano repugnantem, ſed conſentaneam, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt. *Expoſitionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, & in ſcriptis cuſtodiuntur quæ ab eis ſunt expoſita, & citra ea dicere non poſſumus.* Et infra. *Iſta omnes dicimus. Sufficiunt quæ expoſita ſunt: alteram expoſitionem non licet fieri.* Rationem adducunt inferius. *In ſcriptis expoſitionem non facimus. Regula eſt, quæ prædicat ſufficere quæ ſunt expoſita. Regula vult aliam expoſitionem non fieri. Ea quæ ſunt Patrum teneantur.* Id

Id rurſus confirmant ex Epiſtola *Vigilii* Romani Pontificis ad *Eutychiam* Patriarcham Conſtantinopolitanum; qua ſe Synodum Chalcedonenſem ſuſcipere profitetur, quæ anathemate confixit eos, qui *aliud præter Symbolum* Nicænum a Patribus Conſtantinopolitanæ Synodi Oecumenicæ II. explicatum *præſumunt docere, aut exponere, aut tradere Sanctis Eccleſiis Dei*.

Idem præterea confirmant ex Epiſtola *Agathonis* Romani Pontificis ad Imperatores, lecta, & recepta in VI. Synodo Actione IV. quæ ſic habet. *Quæ regulariter a Sanctis atque Apoſtolicis Prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguitate a Patribus traditæ Fidei conſervamus: unum ac præcipuum bonum habere ſemper optantes atque ſtudentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur: ſed eadem & verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiantur*.

Idem demum confirmant ex Synodo VII. poſt Fidei Definitionem exclamante. *Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus*. His momentis Latinos impugnabat *Marcus Epheſius* Seſſione V. Florentinæ Synodi, habita Ferrariæ.

Reſpondit *Andreas* Rhodius Antiſtes, cauſſam agens Eccleſiæ Latinæ, Seſſione VI. Illius vocis, *Filioque*, poſitionem in Symbolo non eſſe proprie additionem, ſed explanatio-

nationem & declarationem: nulla enim expoſitio ſeu declaratio alicujus ſcientiæ vel diſciplinæ, dicenda eſt additio; ſed vox illa, *Filioque*, continetur in altera voce, ſcilicet, *ex Patre*, cum ſit explicatio illius: non eſt ergo additio. Quod vero expoſitio non ſit additio, ſic probat. Omnis additio fit extrinſecus. Expoſitio vero non fit extrinſecus, ſed ex iis quæ in textu jacent. Quoties igitur fit explicatio alicujus, quod in præjacente contineatur, non eſt additio. Si enim omnis explicatio eſſet additio, conſequens eſſet ad Sacram Scripturam multas factus fuiſſe additiones. Patres namque Nicæni Symbolo ſuo Scripturam expoſuere, inſerendo vocem *Conſubſtantialis*: & Patres ſecundæ Synodi Nicænum explicuere Symbolum, cui tamen ipſos aliquid addidiſſe negat *Gregorius Nazianzenus* in Epiſtola ad *Cledonium*. *Nos*, inquit, *Fidei, quam SS. Patres Nicææm convenientes expoſuere ad improbandam Arianam hæreſim, nihil umquam aut prætulimus, aut præferre poſſumus: ſed illam tenemus ac tenebimus Fidem, dilucidius explicantes quod de Spiritu ſancto minus declaratum eſt; nondum enim mota erat hæc quæſtio*. Oſtendit ſubinde quid explicuerint Conſtantinopolitani Patres in Nicæno Symbolo. In illo ſcilicet non dicebatur; *Viſibilium omnium, & inviſibilium*; nec illud, *Deum verum de Deo vero*, nec, *Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem*. Et tamen ſecundæ Synodi Patres, poſitis illis

vocibus, nihil ſe addidiſſe arbitrati ſunt. Præterea, nulla eſt Synodus quæ non hoc modo aliquid adjecerit. Ita Synodus Chalcedonenſis, loco ejus quod in Nicæno habetur, *Natum ex Patre*, dixit. *Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem*, contra hæreſim Eutychetis. Tertio ipſe *Marcus Epheſius* ad interrogationem, cur Patres Epheſinæ Synodi non meminerint Symboli Conſtantinopolitani, ſed Nicæni tantum, rationem aſſignaverat: Quod unum ſint illa, nec inter ea ſit ulla diverſitas: & tamen multa verba in Symbolo Conſtantinopolitano poſita ſunt, quæ in Nicæno non habentur. Poſitio igitur aliquarum vocum in Symbolo explicandæ Fidei cauſſa, non eſt proprie additio. Quod vero vox illa, *Ex Filio*, ſit mera expoſitio illius, *Ex Patre*, cum dicitur Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedens, probat *Andreas Rhodius* teſtimoniis Patrum Græcorum; ex quibus colligit, hanc vocem, *Filioque*, non eſſe additamentum, ſed interpretamentum. Porro licitam eſſe novarum vocum adjectionem ad Symbolum, ſi neceſſitas poſtulet, probat ex eo quod una ſit Eccleſiæ ab initio uſque ad finem ſæculorum Auctoritas: cum itaque olim Eccleſiæ licuerit novas voces addere Symbolo, Fidei explicandæ & contra hæreticos tuendæ gratia, id & poſtea licuit, & modo licet, licebitque perpetuo. Alioquin magnum Chriſtianæ rei damnum impenderet. *Exorientibus enim*

quovis

quovis tempore multis ac diverſis hæreſibus, *neceſſe eſt Eccleſiam illis obſiſtere prædicatione, & argumentis &c.* Addit denique, adjectionem vocum, quarum ſit idem ſenſus, non eſſe *alteram Fidem*: adeoque non eſſe prohibitam a Synodo Epheſina. Seſſione vero VII. idem Præſul reſpondit, Epheſinos Patres vetuiſſe ne aliquid Synodo adderetur, quoad attinet ad veritatem Fidei Chriſtianæ, non vero quoad explanationem. Et quemadmodum in unaquaque ſcientia omnia, quæ ejus ſcientiæ vel artis ſunt, virtute in ejuſdem principiis continentur; ita & Symbolum illud implicite continet doctrinam omnem & fidem Chriſtianorum, non explicite. Quando enim dicitur: *Et in Filium, &c. ex Patre natum*; hoc facit contra Arium. Cum dicitur: *In Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur*; contra Macedonium, & Eunomium. Cum dicitur: *Filius incarnatus & natus*, contra Neſtorium. Et ſi quis percurrendo inquirat nullam inveniet hæreſim natam vel naſcituram, cujus in illo Symbolo virtute non inſit everſio. Quoniam igitur Sancta Nicæna Synodus divinum hoc edidit Symbolum veluti Fidei fundamentum, neceſſe erat ut nulla mutatione affici poſſet: ſicut in ſcientiis Concluſiones mutantur, Principia vero nuſquam. Quod ergo adjectum eſt Symbolo, *Spiritum ſanctum ex Filio procedere*, cum virtute contineatur in illa ſententia, *Qui ex Patre procedit*, quam

Symbolum Conſtantinopolitanum ſenſu a Nicæno nullatenus diverſum (ut Græci ipſi fatentur) explicationis vel declarationis gratia habet , ejus adjectione corruptum vel mutatum Nicænum Sybolum dici non poteſt . Sane Evangelium perfectam continet Fidei doctrinam , & tamen Græci , Latinique Patres illud multis modis explanarunt. Symbolum Apoſtolorum omnia credenda complectitur: & tamen Synodi Oecumenicæ & Patres illud explicarunt. Neque igitur ab Epheſino , neque a Chalcedonenſi Concilio vetita eſt expoſitio Symboli , urgente neceſſitate , ſed alterius dumtaxat , ſive contrariæ Fidei editio . Unde Synodus Chalcedonenſis ait: *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem & confirmationem pietatis &c.* Non ait, *Sufficit*. Ratio eſt ; quia ſi non emergerent hæreſes proculdubio ſufficeret Symbolum Nicænum : ſed quoniam variæ exortæ ſunt hæreſes , manente eadem Fide & eodem Symbolo , neceſſe fuit alias atque alias pro tempore fieri expoſitiones . Symbolum ergo perfectiſſimum eſt , & ſufficit quoad Fidem nulloque indiget additamento : non ſufficit quoad explicationem , propter hæreſes emergentes , quas non præviderunt Nicæni Patres ; cum futura non noſſent , utpote homines , non Dii . Addit , Decreta prohibentia additionem condita fuiſſe poſt recenſitum Symbolum , editaſque Fidei Definitiones ; adeoque ad illas æque extendi . Quamobrem ſicut in dies, novis emergen-

gen.

gentibus hæreſibus, novæ Definitiones fieri poſſunt, ita & novæ Symboli explicationes.

Ad id vero quod objiciebant Græci, Patres vocem, *Deipara*, non addidiſſe Symbolo, ſed in Definitionibus Fidei dumtaxat expreſſiſſe, reſpondet *Rhodius Præſul*, non fuiſſe neceſſarium ut Symbolo adderetur, quia manifeſte ſatis innoteſcebat ex Symbolo B. Virginem eſſe Deiparam. In eo namque profitemur Filium ex Patre natum & conſubſtantialem Patri: ex quo evidens eſt Deum eſſe æque ac Patrem: & rurſus, incarnatum & hominem factum, ex quo ſatis compertum eſt B. Virginem Deum & hominem peperiſſe. Eadem præterea vis eſt Definitionum Fidei, ac Symboli. Igitur vox, *Deipara*, æque poterat addi Symbolo ab Epheſinis Patribus ſicut addita definitioni eſt: & ſi addidiſſent, vel ipſi, vel Patres Conciliorum ſequentium, an ideo anathemati fuiſſent obnoxii? (inquit Julianus Cardinalis.)

Ad hæc Rhodii Præſulis, ſive Latinorum omnium, quorum partes tuebatur, momenta repoſuit *Beſſario* Nicænus Archiepiſcopus, ſemper quidem licuiſſe explicationes Fidei tradere, non autem eas inſerere Scripturæ Sacræ, vel Symbolo. Uſque ad ſecundum Concilium Oecumenicum fas fuiſſe patribus Symbolum nonnullarum vocum additione explicare: ſed cum ea facultate quidam in Religionis damnum abuterentur, Symbolaque pro arbitrio fabricantes, nova ipſis & perver-

ſa dogmata infererent, ac in populos ſpargerent, Epheſinæ Synodi Patres hanc ſuo Decreto ademiſſe libertatem, ne ex mutatione vocum ad mutationem ſententiarum facile veniretur. Id ſtatuiſſe primo Epheſinos Patres, ut conſtat ex Epiſtola *S. Cyrilli* ad Acacium Meliterſem, in qua hæc habet. *Sancta quippe & Oecumenica Synodus, quæ Epheſi convenit, neceſſario providit, non oportere aliam Fidei expoſitionem in Eccleſias Dei inferri, præter eam, quæ jam extabat; quam Beatiſſimi Patres noſtri in Sancto Spiritu locuti definiverunt.* Ex quibus obſervat *Beſſario*, Synodum Epheſinam id primum inhibuiſſe, quod ſignificat vox illa, *Providit*. Secundo, id ſanxiſſe neceſſario. Tertio, prohibuiſſe alteram Fidei expoſitionem, non alterius Fidei expoſitionem. Quarto, id univerſo Eccleſiæ corpori interdictum: hoc enim ſibi vult illud. *Non inferri in Eccleſias Dei*. Quibus obſervatis, ita colligit. Id primum prohibuit Epheſina Synodus: atqui contraria exponere dogmata jam olim vetitum erat. Itaque vel ipſa vocum additio ad Symbolum, explicationis gratia vetita eſt. Hanc vero legem univerſæ Eccleſiæ impoſuere Patres, eamque religioſe ſervarunt, vocem, *Deipara*, Symbolo non addentes, etſi neceſſaria eſſet ad *Neſtorii* confodiendum errorem. Nec referre ait, quod clariſſime in articulis de Filii Divinitate & Incarnatione contineretur. Alia namque non ita perſpicue in Symbolo contenta, novis emer-

emergentibus erroribus, Patres non addidere. Neque enim Epheſina ipſa Synodus unionem Verbi cum natura humana ſecundum hypoſtaſim: neque duarum naturarum poſt unitionem inconfuſarum confeſſionem Chalcedonenſis: nec duarum voluntatum & operationum in Chriſto prædicationem Sexta Synodus, addidere. Fidem quidem explicarunt contra Hæreticos, ſed Symbolum intactum ſervarunt. Tandem contra id quod *Rhodius Præſul* dixerat, hanc vocem, *Filioque*, virtute in illis verbis contineri, *Ex Patre procedit*, objicit *Beſſario* non ideo fuiſſe addendam Symbolo. Omnia quippe ſacra Dogmata ex fontibus Sacrarum Scripturarum haurimus, quæ ſunt principia & fundamenta noſtræ Fidei: nihil tamen eſt ad illas adjectum, nec adijci poteſt. Ex quo eſt conſequens, ſacro etiam Symbolo nihil eſſe addendum, quoniam in Eccleſia locum obtinet Principii. Licet porro ſit eadem ſemper auctoritas Eccleſiæ, tamen, inquit *Beſſario*, antiquorum Decreta ſervari debent a poſteris: alioquin adverſus ſe ipſam pugnaret, ſeque ipſam deſtrueret Eccleſia.

Beſſarionis confutationem aggreſſus eſt *Joannes* Forolivienſis Epiſcopus, Seſſione X. Probandum primo ſibi ſumpſit, harum vocum, *ex Filio*, poſitionem in Symbolo, non eſſe proprie additamentum. Duplici medio id probavit, primo ex eo quod Novum Teſtamentum virtute contineatur in Veteri; ſecundo ex progreſſu ſucceſſionis in expoſitione arti-

culorum Fidei. Quoad primum, *S. Auguſtinum* laudat, lib. de catechizandis rudibus, dicentem. *In veteri Teſtamento eſt occultatio Novi; in Novo Teſtamento eſt manifeſtatio Veteris*. Et *S. Gregorium* Homilia VI. in Ezechielem, dicentem. *Rota in medio rotæ. Novum Teſtamentum in Veteri*. Si ergo ſecundum *S. Auguſtinum*, tanta Myſteriorum Novi Teſtamenti copia, eorumque prædicatio, non dicitur additio, quia in Veteri Teſtamento continebatur: multo minus eorum explicatio proprie additio dicenda eſt. Quoad ſecundum medium, ponit illud *S. Auguſtini* Principium. *Tempora variata ſunt, non fides*. In articulis tamen ſucceſſionem extitiſſe obſervat aliquam, impliciti explicationem, & indeterminati determinationem. Id illuſtrat exemplo explicationis Fidei de humani generis per Chriſtum reparatione, quæ obſcurius Abrahæ revelata eſt Geneſis 22, his verbis. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Deinde clarius Iſaiæ revelata, & per ipſum expoſita, Cap. 7. his verbis. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Poſtea lucidius adhuc explicata B. Virgini ab Angelo his verbis. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*. Ita in articulo de Spiritu ſancto factum eſt. Apoſtolicis temporibus, Eccleſia ſuam de Spiritu ſancto Fidem his verbis profitebatur. *Credo in Spiritum ſanctum*. Quod vero poſtmodum in Synodo protulit: *Qui ex Patre procedit*, non fuit articuli novi additio, ſed clarior ejuſdem expli-

explicatio: ita cum poſtea dictum eſt, *Ex Filio*, non conditus additusque eſt novus articulus, ſed idem magis explicatus. Hujuſmodi porro, ſi ita vocanda eſt additio, non eſt prohibita. Nam (ut ex *S. Bonaventura* obſervat *Beſſario*) triplicis generis additio eſt. Una cum id, quod adjicitur, contrarium eſt; altera, cum diverſum eſt; tertia, quando conſonum eſt. Prima eſt additio erroris, & eſt Hæreticorum: ut ſi quis diceret Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum ſanctum a nullo procedentem; Secunda temerariorum eſt: inſignis enim temeritatis argumentum eſt, in Fidei, & Sacræ Scripturæ Dogmatibus diverſum ab eo loquendi modum uſurpare, qui in Eccleſia ſolemnis eſt; ut ſi quis Patrem dixerit Geometram, Filium Aſtronomum, Spiritum ſanctum Arithmeticum. Nam etſi ita loquens non multum a veritate diſcrepet, cum unaquæque divina Perſona omnia poſſit, & omnia ſciat, quia tamen hic loquendi modus a modo loquendi Scripturæ Sacræ & Sanctorum valde alienus eſt, abſque temeritatis nota non poteſt uſurpari. Tertia Catholicorum eſt, ut ſi dicam Patrem omnipotentem, æternum; Filium conſubſtantialem, coæternum; Spiritum ſanctum procedentem, ſpiratum. Additamentum hoc pium & Catholicum eſt; ſpectat enim ad doctrinam Fidei; quandoquidem explicat quod implicitum eſt. Priores additiones duæ, quibus contrarium quid additur, vel diverſum, graviſſimæ pœnæ

comminatione prohibitæ ſunt: (Apocalypſis ultimo) *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto*. Tertii vero generis additio commendatur potius quam vetetur; ad eamque referri poſſunt hæc Salvatoris verba, Lucæ. 10. *Quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*. At vox illa, *Ex Filio*, nec eſt contraria, nec diverſa, ſed conveniens & conſona Symbolo Fidei. Unde ſicut Proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre Symbolo inſerentes Patres non violarunt Symbolum Apoſtolicum: ita Eccleſia Proceſſionem ejus ex Filio declarans & in Symbolo exponens, minime violavit Symbolum Nicænum. His præmiſſis, addit Forolivienſis Præſul, Legem Eccleſiaſticam intelligendam eſſe ad mentem eorum a quibus lata eſt. Epheſinos vero Patres ſolam adjectionem contrariam Fidei Patrum prohibuiſſe. Id ex Actis Concilii Epheſini probat. Actione enim prima Epiſcopi dixere, *Recitetur expoſitio Nicænorum Patrum, ut cum ea ſermones de Fide conferamus, & ſuſcipiantur quidem quæ cum illis conveniunt; quæ vero diſcrepant, rejiciantur*. Ex quo liquet Synodum illud velle, ut Fides conſona Patribus non prohibeatur, ſed quæ ab illis diſſentit. Unde patet quid verba illa ſibi velint. *Nulli liceat proferre alteram Fidem præter eam quæ Nicææ conſtituta eſt*, hoc eſt, Fidem diſcrepantem & contrariam. Poſt hæc lectum eſt Symbolum Nicænum. Lecta & *S. Cyrilli* Epiſtola

ad

ad *Neſtorium*, de qua interrogati Patres dixere, eam cum Nicæno Symbolo convenire. Deinde lecta eſt Epiſtola *Neſtorii* ad *Cyrillum* quam a Fide Nicæna penitus alienam judicarunt. Ex his conſtat, Epheſinos Patres, cum prohibuere, ne Fides altera præter Nicænam proferretur, Fidem intellexiſſe contrariam, pugnantem, diverſam, peregrinam, alienam a recta Fide; non alteram expoſitionem Fidei conſentientem.

Id egregie confirmat *Julianus Cardinalis* Seſſione II. occaſionem exponens, quæ Patres Epheſinos impulit ad illud edendum Decretum. Scilicet recitata eſt a *Chariſio* Presbytero expoſitio Fidei *Anaſtaſii & Photii* diſcipulorum *Neſtorii*, a quibus miſſus erat *Jacobus* quidam ad prædicandam *Neſtorii* hæreſim; qui etiam multos ſeduxerat, & aliud Symbolum infedelitatis potius, quam Fidei tradiderat. Inter alia vero conqueſtus eſt *Chariſius*, Fidem ſuam fuiſſe *Jacobi* & Symmiſtarum criminationibus impetitam. Propterea Fidei ſuæ expoſitionem præmiſit: tum *Neſtorii* Symbolum ſubdidit. Expoſitio autem Fidei a *Chariſio* facta neque Nicænum Symbolum erat, neque Conſtantinopolitanum. Neque enim in ea legebatur. *Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, &c.* Quod in Nicæno habetur. Legebatur vero: *Et in Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patri, & Filio:* quod neque in Nicæno, neque in Conſtantinopolitano extat. Audita *Chariſii* Fide, &

Neſtorianorum Symbolo, Synodus ita ſanxit. *Nemini liceat proferre, aut docere alteram Fidem*. Poſtmodum iis damnatis qui Neſtorianorum Symbolum tenerent, nullam facit *Chariſii* mentionem, nec illius Confeſſionem improbat. Porro ſi Nicænum dumtaxat Symbolum atque Conſtantinopolitanum approbaſſet, non autem & expoſitiones Fidei illis conſonas, *Chariſii* quoque Confeſſionem rejeciſſet.

Idem confirmat *Julianus Cardinalis* ex Chalcedonenſis Concilii Geſtis. *Eutyches* in Synodo Conſtantinopolitana, *Flaviano* Præſide, damnatus, in Epheſina II. Pſeudo-Synodo cauſſam ſuam agens, & ab hæreſi ſe purgare ſatagens, Nicænum Symbolum profeſſus eſt. Quo recitato, dixit. *Hæc eſt Fides Patrum, & in hac volo vivere & mori; ſed quia Fides Nicæna confirmata eſt per Epheſinam Synodum; ea vero prohibuit aliam proferri Fidem præter illam primam, decrevitque ut nihil adderetur, nihil minueretur; propterea dicebat: Ego rectam Fidem teneo; Flavianus autem non tenet rectam Fidem, cum aſſerat Chriſtum ex duabus & in duabus naturis; & in Symbolo Nicæno non dicatur Chriſtus habere duas naturas, vel eſſe ex duabus naturis*. Quo audito, *Euſebius* Dorylæi Epiſcopus exclamavit. *Mentitus eſt, nullus eſt canon qui hoc præcipiat*. Reſpondit Dioſcorus. *Quomodo nullus eſt Canon? Apud nos duo ſunt codices, & in omnibus legitur, Non licere quidquam addi Nycæno Symbolo*. Mox *Dioſcorus* contra *Flavianum*

vianum ſententiam tulit, ipſum inter alia reum agens violati Decreti Synodi Epheſinæ, quo ſancitum eſt ut Epiſcopus vel Clericus proferens aliam Fidem, aut addens, ſive detrahens Epiſcopatu deponatur. Et omnes Epiſcopi prædatoriæ Synodi conclamarunt. *Oſtenderunt ſeſe ab omni Sacerdotali dignitate alienos Flavianus & Euſebius, qui aggreſſi ſunt addere vel demere de Sancta Fide per Nicænum Synodum expoſita, & per celebratam Epheſi comprobata. Quapropter juſtum eſt addentes vel detrahentes alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clero.* Cum vero hæc relegerentur in Synodo Chalcedonenſi, dixerunt omnes. *Anathema Dioſcoro qui male judicavit. Hac hora damnetur Dioſcorus.* Tum Synodus omnia contra *Flavianum* in prædatoria Synodo geſta reſcidit, nihilque ab eo commiſſum cenſuit contra Nicænam, aut Epheſinam Synodum: & verba illa quibus dicitur Chriſtus *ex duabus, & in duabus naturis*, etſi expreſſe non habeantur in Symbolo Nicæno, non eſſe contraria veritati: quia ex eo derivantur. Non eſt igitur increpatione dignus qui addit, vel explicat dum veritati Fideique Catholicæ conſona proferat. Decretum itaque Concilii Epheſini de iis intelligendum eſt, qui, Fidem contrariam tenent, aut a vera diverſam; ſeu Scripturam Sacram, aut Nicænum Symbolum immutant. Quamobrem cum Eccleſia Latina inſerendo Symbolo hæc verba, *Filioque*, nihil contra Scripturam Sa-

Sacram, nihil contra Nicænum Symbolum, nihil contra Synodorum Definitiones ceterarum, nihil contra veritatem addiderit, ipſi vitio verti non debet hujuſmodi additio.

Hanc additionem contra Græcos egregie tuitus eſt *Ratramnus* Corbejenſis monachus, *lib. II. contra Græcorum oppoſita*, cap. II. *Nicæna*, inquit, *Synodus trecentorum decem & octo Epiſcoporum, poſtquam de conſubſtantialitate Filii cum Patre Symbolum dictavit, ubi ventum eſt ad Spiritum, ſic ait*. Credimus in Spiritum ſanctum: *nihil vel majus, vel minus ſuper ejus vel ſubſtantia, vel Proceſſione decernens. Ubi ergo nunc Regula, qua vos muniri, vel Latinos arbitramini conſtringi, ut vobis liceat dicere procedentem a Patre Spiritum ſanctum, Romanis non liceat dicere procedentem a Filio? Quod ſi ſequentes auctoritatem Nicæni Concilii nihil ultra vultis addere, removete* Procedentem a Patre, *quia non continetur in Nicæni Concilii Symbolo. Et fortaſſis liceat removeri, quod a Romanis ſuperadditum eſt* Procedentem a Filio. *Quod ſi reſpondentes dixeritis, in Conſtantinopolitana Synodo a centum quinquaginta Epiſcopis qui Conſtantinopoli congregati ſunt, hoc poſitum eſſe, reſpondemus, non licuiſſe quidquam Nicæni Concilii Symbolo de Fide vel demere, vel addere, vel immutare. Quod ſi dicatis de Filii conſubſtantialitate non licuiſſe quod determinatum eſt in illo Conventu quidquam ſuperaddi, de Spiritu ſancto vero, quia perparum hinc dictum eſt,*

eſt, licuiſſe propter futuras hæreticorum quæſtiones ſecundum Sanctarum auctoritatem Scri*pturarum. Reſpondemus, Hoc idem licuiſſe Romanis propter futuras hæreticorum quæſtiones, ſecundum divinarum auctoritatem* Scri*pturarum. Nec enim convincere poteſtis, majorem Conſtantinopolitanæ civitatis auctoritatem, quam civitatis Romanæ, quæ Caput eſt omnium Chriſti Eccleſiarum, quod Majorum tam veſtrorum, quam noſtrorum teſtimonio comprobatur.* Sed neque *centum quinquaginta Epiſcoporum tanta conſtat auctoritas; ut univerſi totius orbis Epiſcopis præſcribere poſſit, ut quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quam univerſis Chriſti Eccleſiis. Addiderunt etiam illi Symbolo præfato, dicentes* Spiritum ſanctum cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus eſt per Sanctos Prophetas:*& alia plura. Hæc ſuperadjicientes, non præſcripſerunt Eccleſiis Chriſti, ſed exemplum dederunt ſi quid ſecundum* Scri*pturas Sanctas ſuperaddere vellent de Spiritu ſancto, quod hæreticos expugnaret, & Fidem credentium roboraret. Quod ſi malitis opponere, quod inveniri non poſſit in* Sanctis *Evangeliis, ſive ceteris Divinis Paginis ſcriptum,* Spiritum *ſanctum procedentem a Filio, ſed tantummodo procedentem a Patre, ac propterea nolle vos recipere quod in Scripturis ſanctis ſcriptum non reperitur, quemadmodum Ariani nolebant recipere unius ejuſdemque ſubſtantiæ Patrem, & Filium, quoniam Scripturæ* Sa-

cræ

cræ non hoc continebant: Dicite ubi legeritis quod Conſtantinopolitanum Concilium in Symbolo poſuit de Spiritu ſancto, dicens, Eum cum Patre & Filio ſimul adorandum & glorificandum, & Qui locutus eſt per ſanctos Prophetas? Quod ſi dicatis, in Scripturis ſanctis non nudis verbis iſta reperiri, ſed virtutem intelligentiæ in eis contineri, ut quomodo eſt unius cum Patre Filioqne ſubſtantiæ, unius potentiæ, non diſſimilis majeſtatis, & propterea cum Patre Filioque ſimul adorandus & conglorificandus; eadem concedite Latinis Eccleſiis, ut licet nudis verbis Evangelia non dicant de Filio procedere Spiritum ſanctum, multis tamen modis oſtendunt Spiritum eſſe Filii, ſicut eſt Spiritus Patris, & a Filio procedere, ſicut procedit a Patre. Iſta cum ſe ſic habeant, & de Spiritu ſancto Fides Catholica per Salvatorem & Apoſtolos fundata ſemper tenuit, nec prædicare omiſit, quod ejuſdem ſit cum Patre Filioque virtutis, & ejuſdem ſubſtantiæ, procedere de utroque. Quid eſt nunc quod Catholicam Fidem reprehendere nitimini: & contra Catholica Dogmata neſcio quod moliri conamini? Fortaſſis vel Arium, vel Macedonium reſuſcitare tentatis, & eorum pravi Dogmatis cineres olim ſopitos in Eccleſiam introducere. Numquid Majores veſtri neſcierunt quemadmodum de Spiritu ſancto Romana ferebat Eccleſia? Nec tamen aliquando a Romanæ Sedis communione ſeſe removere, ſcientes Catholicæ Fidei veritatem fore quod tenet & prædicat, nec merito repre-

reprehenſioni patere, quod Sanctarum Scripturarum auctoritate conſiſtit.

Vſque ad Arii tempus nulla confuſio vexabat credentes de Patri Filiique conſubſtantialitate, nec Homouſion prædicabatur. Virtus tamen illius verbi credentium mentibus inſita conſiſtebat, quoniam omnipotentem Filium in nullo diſſimilem Patri fore credebat, bene dictum Salvatoris recolens dicentis; Qui videt me, videt & Patrem. *Neque Chriſtum aliud quam creaturarum auctorem omnium, ſciens ex Joanne dictum*, Omnia per ipſum facta fuiſſe: „ Neque tamen in Symbolo Apoſtolorum collatione facto, continebatur aliud, quam quod novimus omnes: Credere nos portere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Sufficiebat iſta Fides credentium ſaluti, quæ multorum ſanguine Martyrum, & innumerabilium ore Confeſſorum per univerſum orbem & approbata eſt, & commendata. Verum ubi Arius impugnator veritatis cœpit in Chriſti divinitatem inſanire, & blaſphema non pauca jaculari, Fidelium mentes ad pietatem incitantur, & veritatis arma contra impietatis errorem proferunt, confodiunt una cum Auctore impium Dogma, quod Filium Dei creaturam, & non de Patre genitum; Spiritum quoque Sanctum, minorem Filio blaſphemabat. Poſt quem Macedonius ſurrexit, de Patre Filioque cum Catholicis ſi-

„ milia

„ milia ſentiens, Spiritus vero Sancti Perſo-
„ ſonam non recipiens. Adverſus iſtum Ca-
„ tholici decertantes Epiſcopi, Spiritum
„ ſanctum probaverunt, unum eſſe in San-
„ cta Trinitate conſubſtantialem tam Patri
„ quam Filio, & de Patre procedentem,
„ coadorandum, conglorificandum Patri Fi-
„ lioque. Dein Ariana repullulante veſania,
„ volenteque confirmare, non eſſe rectæ Fi-
„ dei Spiritum ſanctum dicere de Patre pro-
„ cedere, hoc quia videretur eſſe blaſphe-
„ mum, quoniam duorum profiteretur Pater
„ eſſe, id eſt, Filii, ſeu Spiritus ſancti, hanc
„ quoque blaſphemiam propellandam decer-
„ nentes Eccleſiæ Doctores, ſuperaddidere
„ Symbolo, Spiritum ſanctum de Filio quo-
„ que procedere. Ne ſi de Patre tantum pro-
„ cedens diceretur, putaretur Filius, nec di-
„ ceretur Spiritus Filii, quod eſt impium &
„ blaſphemum, & adverſus Evangelicam
„ Apoſtolicamque doctrinam veniens. Nam ſi
„ velitis dicere, quod procedere verbum ſatis
„ diſtinguat, ne Spiritus ſanctus putetur eſſe
„ Filius, ſcitote quod etiam de Filio præ-
„ dicetur; ait enim ipſe in Evangelio Joan-
„ nis: *Ego ex Deo proceſſi & veni*. Si er-
„ go ex Deo Patre procedit Filius, procedit
„ & Spiritus ſanctus, quid erit quod Arianis
„ ſilentium imponat, ne Spiritum ſanctum
„ Patris eſſe Filium blaſphement? Hanc igi-
„ tur intuentes cauſſam Doctores tam Latino-
„ rum quam Græcorum dixerunt, Filium qui-
„ dem

„ dem ex Patre tantum genitum, Spiritum „ vero ſanctum de Patre Filioque proceden„ tem, quomodo Divinarum edocti magiſte„ rio Litterarum intellexerunt tam Patris „ quam Fili Spiritum eſſe, ac propterea de „ utroque procedere.

Hugo Etherianus lib. III. *De Hæreſibus, quas Græci in Latinos devolvunt*, c. XVI. de eadem additione ita diſſerit: *Si Conſtantinopolitana Synodus Nicæno adjecit Symbolo*: In Spiritum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem. *Si Chalcedonenſis Synodus quoque Conſtantinopolitanæ addidit Synodo*, „ Perfectum in Humanitate, perfectum in „ Divinitate, conſubſtantialem Patri ſecun„ dum Deitatem, conſubſtantialem nobis ſe„ cundum humanitatem „: *Nulla inſimulatione, nulla reprehenſione, nullaque calumnia notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quod cauſſa interpretationis, dictionem unam (dico autem*, Ex Filio procedere Spiritum) *Sanctorum plurium Epiſcoporum, & ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito, appoſuerit. Licet enim ei, ſemperque licebit fratres confirmare, Decreta edere, cudere interpretationes, ſi ubi aliquid obſcure ſcriptum ſit, & de voluntate Scriptoris argumentari, indicio voluntatis illius relicto facere hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oves & agni commiſſi ſunt, & idcirco non ſolum Scripti recitator eſſe debet, verum interpres illorum quæ adſcripta non ſunt, ut Caput Ovium: Dei Paſtor, &c.* Tum nonnullis

lis de Romani Pontificis primatu magnifice dictis hæc ſubdit : *Verum Chriſtus æqualem Petro conſortem nullum aſſociavit. Qua in re manifeſtum, antiquioris Romæ Præſulem poteſtatem a Petro accepiſſe Fidem renovandi, ut verbis Patrum utar, habendi curam & regnum omnium Sacerdotum; quin etiam omnium Chriſtianorum. Ergo qui reſiſtunt Primæ Sedis totius orbis Præſuli, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi rèſipiſcant, contumaciæ judicio plectentur. Propterea illud Evangelicum* : Qui a Patre procedit : *& ſaluture Symbolum, ut Chalcedonis Synodus Conſtantinopolitanam, & ea Nicænam intepretata eſt, nullo modo Tertiæ Synodi Decreto contradicens, cujus tenor & inſtitutio talis eſt* : Conſtituit ſacra & univerſalis Synodus aliam Fidem non licere alicui conſcribere, aut componere, aut ſapere, aut docere aliter, &c. *Quod ſi propter interpretationem præfati Capituli enuntiantem ex Filio vere Spiritum procedere, cum omni cautela ſub SS. Patrum Athanaſii & Baſilii, Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, Hilarii, aliorumque plurium teſtimonio, aliam Fidem cenſcripſiſſe aut docuiſſe Apoſtolica Eccleſia credenda eſt : ſimili ratione congregati SS. Patres Conſtantinopoli aliud a Nicæno Symbolum ediderunt; & Chalcedonem convenientes, aliam Fidem ab ea quam Conſtantinopoli SS. Patres perdocuere. Quare palam, ut puto, fit ex his, nequaquam licere cuipiam hominum calumniari Sanctiſſimam & magnam omniumque Principem Romanam Eccle-*

cleſiam, quaſi aliam Fidem conſcripſerit, aut compoſuerit, aut docuerit. Nam neque affert neque perdocet, neque aliud tradit Symbolum, ſi editum a SS. Patribus interpretatur; non perpetiens Fidem labefactari, apud quos ſemper effulſit. Quæ licet Primatum habeat, attamen humiliat ſeipſam, reſpondendo quod Chalcedone celebrata Synodus quondam ſe calumniantibus reſpondit. Injuſte, inquit, *arguor, dum non Fidem, ſed memoriam renovo; non appoſui, non ademi ſalutari Symbolo, ſi dictionem occultam manifeſtavi. Renovavi enim, ut Patres antedicti, Fidem, & appoſui Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, atque Chalcedonenſis Synodi, ſed nullo modo illis contraria: quia dum illorum Patrum veſtigia perſequor, ſolummodo quæ tunc quæſita non ſunt, tempore poſt per interpretationem & appoſitionem verbi quod non perſpicue ab omnibus intelligebatur, enucleavi.*

Cap. XVII. *Æquum igitur eſt ratum habere quod tanta Eccleſia decernit: quod tantus Pontifex enuntiat; ſine quo viror calami omnis Eccleſiaſticæ Traditionis areſcit, ut memorandus inter Sanctos B. Junior Stephanus aſſerit, qui non modo apud Deum magnus, verum apud omnem Græcam multitudinem Apoſtolicæ prædicatur ſanctitatis.* Hic *magnus Vir cuidam Synodo ſubſcribere invitatus, hujuſmodi voces cum fiducia extulit*: Quomodo qui Sanctuaria profanaſtis, Sanctam conſtituiſtis Synodum? O nefas! Quomodo univerſalis vocetur Synodus, in

in qua Romanus Pontifex non complacuit, præter quem impoſſibile prorſus Canonica ſtabiliri? *Ei ergo vertices montium, & omnium turba Fidelium genua flectere debet, & pro bellicis increpationibus jugum complecti ſubjectionis. Namque Petri Coryphæi & Succeſſoris ejus gentium principatus & regna gubernaculo ſubduntur. Hujus Eccleſia de ſe ſplendorem emittit ſemper, & non tenebreſcit; a qua exit lex & judicium, ad quam homines undique terrarum conveniunt, & merito, &c.*

Manuel Calecas lib. 4. *contra Græcos*, de eodem argumento ſic diſſerit; *Nam & qui additionem interdixere, adjectionem Fidei, corruptaque Dogmata conſcribere prohibuerunt. Nam in Epheſina Synodo.* „ Lecto, *inquit*, „ Nicæni Concilii Symbolo, communiter de- „ cernunt, jam nemini licere Fidem aliam „ conſcribere, aut proferre, aut tradere his qui „ ex Judæis, vel Gentibus, ſeu ex alia qua- „ vis hæreſi ad Eccleſiam veniunt. „ *Fidem aliam dixerunt... Non igitur communem Fidem declarare interdictum eſt; ſed vel aliam vel contrariam inducere, ipſæ quoque litteræ teſtantur; ſive quibuslibet hominibus interdictum eſt, ne quiſque horum paſſim proprium ſibi Symbolum conſcribens, & aliquos a communi confeſſione ſeparans, cum hoc deceptos baptizet, fiantque Conventicula cujuſmodi tunc plurima fiebant. Porro ipſa Eccleſia ſibi docendi atque aliis dictandi, quæ vera ſint & ſalubria, licentiam poteſtatemque non abſtulit.*

Non

Non enim poſtmodum novis in dies blaſphemiis exorientibus, in Fidei Terminis adjiceret, quæ pios impioſque diſcernerent. Aut enim neceſſarium eſt confiteri omnia tunc confeſſioni Fidei pleniſſime adjecta, & ad futuras novitates vocum ſufficere arcendas; & poſthac futuris Conciliis minime licere de Fide ſtatuere: aut Eccleſiam initio quidem potuiſſe de Dogmatibus ſtatuere, & alia quidem addere, alia auferre; poſtmodum vero hanc amiſiſſe poteſtatem. At primum quidem illud verum non eſſe, poſt hæc Acta Concilia teſtantur, quæ profecto numquam conveniſſent, ſi prima illa ſcandalis futuris ſatis obviaſſent. Dei enim eſt futura prænoſcere. Singula vero Concilia ad præſens periculum intenta, contra Hæreticos pugnant, non futurum propellunt. Hoc enim incertum eſt. Ex quibus & illud conſtat, poſtea Concilia utiliter & neceſſario fuiſſe conflata, quoties neceſſitas urgeret. Nempe enim eamdem vim Eccleſiæ non ſemper ac ſimiliter adeſſe exiſtimare, Myſteria Fidei tollentium eſt, maxime cum Salvator dixerit, ſe cum illa uſque ad conſummationem ſæculi futurum. Si igitur primis ſufficienter habentibus, ad occurrendum periculis omnibus futuris, nulla poſtea neceſſitas fuiſſet Concilia cogendi: eamdem ſic quoque poteſtatem temporibus omnibus Eccleſiam habere, putandum eſt, aliterque hac libertate ſublata, non parva detrimenta, ſed ſummam perniciem ſequi neceſſario, niſi liceret Eccleſiæ de Fide ſtatuere, ſcribere, atque definire.

» Ex

„ *Ex quibus perſpicuum eſt*, Non adjectio-
„ nem dictionis, ſed alterius Fidei conſcri-
„ ptionem interdici: Eccleſiamque non ſibi
„ ipſi, ſed hominibus ſingulis de Fide ſta-
„ tuendi ademiſſe poteſtatem. Neque enim
„ in Fidei terminis deinceps a ſacris Conciliis
„ quomodolibet fuiſſet adjectum, ſi ea ſe po-
„ teſtate privaſſet. Aliter enim qui iſta di-
„ cunt, eos etiam qui in Nicæno Concilio
„ convenerunt, anathemati ſubjicerent, qui
„ non pauca Apoſtolorum Symbolo addide-
„ runt; & eos qui poſtmodum Conſtantino-
„ poli convenientes, & ipſi Nicæno Symbo-
„ lo adjeciſſe comprobantur quædam, quædam
„ etiam abſtuliſſe, nemine inſimulante, quia
„ ſic viſum eſt. Nempe & reliqua deinceps
„ Concilia adjeciſſe aliqua vel immutaſſe,
„ quis neſciat, cum hæ vel illæ neceſſitates
„ caſuſque requirerent? Porro Conciliorum
„ de Fide ſanctiones, æque ac Symbolum,
„ ſuſcipimus, quæ in ipſo complexæ conti-
„ nentur. Sed & cum B. Paulus dicat: E-
„ tiamſi Angelus evangelizaverit præter id
„ quod evangelizavi vobis, anathema ſit:
„ Conſubſtantiale tamen Patres adjecerunt,
„ cum nemo tamen ante illos hanc dictio-
„ nem tradiderit. Idcirco etiam a contradi-
„ centibus hanc non inveniri in ſacris libris
„ arguebantur. Addiderunt tamen litteræ ſen-
„ ſum conferentes, & contra adverſarios con-
„ ſtanter dimicantes, juxta Theologum Gre-
„ gorium, qui ait: *Non de verbis & nomi-*
„ *nibus.*

nibus pugnamus, dummodo Sillabæ ad eamdem intelligentiam ferant . „ Et certe non propter „ eamdem adjectionem Pauli ſubjiciuntur „ anathemati . Prorſus vero Synodus omnis „ pro reprehenſione blaſphemorum congre- „ gata , Fidei Terminum exponit , per id „ quod veteribus dictiones adduntur , nova „ Dogma reſecans . Ita enim ſe res habet . „ Siquidem eſſet poſſibile , ſine aliqua con- „ tradictione eorum qui communem Fidem „ oppugnare volunt , manere Eccleſiam in „ antiquis principiis immotam , nulla fuiſſet „ neceſſitas aliquid quomodolibet adjicere, „ ſed ſuffeciſſet ad confeſſionem Fidei com- „ poſitum a SS. Apoſtolis ab initio Symbo- „ lum breve ſimul ac ſimplex. Quoniam vero „ primus Arius Dei Filium Patris eſſentia „ detrudere preſumpſit , quod in Apoſto- „ lorum Symbolo ſcriptum aperte non fue- „ rat , Filium ejuſdem eſſentiæ cum Patre „ eſſe, cum hujuſmodi venenum per corpus „ Eccleſiæ ſerperet , eaque peſtis effundere- „ tur in plures, qui in Nicæa convenere Pa- „ tres , veritatis ac Fidelium curam haben- „ tens , Symbolo alio compoſito, & Conſub- „ ſtantiale addiderunt , atque ante omnia „ ſæcula Filium ex Patre genitum , non fa- „ ctum , & ex Deo vero Deum eſſe verum, „ & quæ tunc adjecerunt , cum Apoſtoli na- „ tum ſolummodo ex Patre dixiſſent .

„ Erant iſta ſic ; videbatur tunc abunde „ munita Fides,cum parvo poſt tempore con-

„ tra Spiritus ſancti Divinitatem ſe erexit
„ impietas . . . . Convenerunt Conſtantino-
„ poli Patres, & illud, quod nunc legitur
„ Symbolum compoſuerunt. Cumque Nicæ-
„ ni Concilii Patres ſolum, *& Spiritum ſan-*
„ *ctum*, credere dixiſſent, nihilque adjeciſ-
„ ſent amplius; iſti, quæ plura ſunt addita ap-
„ poſuerunt de Spiritus ſancti dominatione
„ & deitate. In Chalcedonenſi quoque Con-
„ cilio congregati, pro his veluti rationem
„ reddentes, nos neque adjeciſſe ajunt Fidei
„ Nicęnorum Patrum, quaſi novum quidpiam
„ & varium dicentes; neque quod ab illis
„ fuerat relictum, hoc impleviſſe, ſed illorum
„ de Spiritu ſancto intelligentiam, contra eos
„ qui illius dominationem auferre niteban-
„ tur, Scripturę teſtimoniis feciſſe planiorem.
„ Videmus autem & ipſos qui illic convene-
„ runt, Symbolo Nicęno addidiſſe. Non cum
„ illi Patri Filium Conſubſtantialem tantum-
„ modo dixerint, iſti addiderunt Conſubſtan-
„ tialem Patri ſecundum Deitatem, conſub-
„ ſtantialem nobis ſecundum humanitatem,
„ Eutychetis; in hoc opinionem corrigentes.
„ Et qui Epheſi primum convenerunt Fidei
„ Terminum expoſuerunt, quo Dei Genitrix
„ B. Virgo prędicatur. Virgo enim tantum
„ Beata in Symbolo appellata fuerat. Etſi
„ enim Symbolo id adjectum non eſt, nihilo-
„ minus Definitionem illam veneramur. Et
„ his perſpicue conſtat, eos qui auferre aliquid
„ vel addere prohibuerunt, non adjectionem

„ di-

„ dictionis, ſed Fidei alterius edition e m ve-
„ tuiſſe, alioqui nullum eſſet Concil ium a
„ crimine imm une.

Multa deinde ſubdit *Manuel Calecas* de tempore & occaſione iſtius additionis, in quibus aliorum potius opiniones refert quam propriam ſtatuat. *Joannem Scylacem* Byzantinum Hiſtoricum laudat. In eam propendet ſententiam, quæ vocem illam, *Filioque*, additam Symbolo vult ad eorum errorem refellendum, qui Filii Dei majeſtatem imminuentes, a ſolo Patre Spiritum ſanctum prodire propugnabant, & ad Nicæni Concilii Symbolum quidquam addendum eſſe negabant. Cæterum hanc additionem ſchiſmatis occaſionem fuiſſe negat, cum tempore *S. Maximi* & Sextæ Synodi Oecumenicæ jam factam, colligatur ex Epiſtola illius ad Marinum: *Propterea*, inquit, *rebus urgentibus, cum quoſdam Occidentalis Eccleſiæ hæc peſtis paulatim ac ſenſim inficeret, conveniens Synodus, ex Filio etiam Spiritum procedere, Symbolo adjecit: ad quod Romani Pontificis ſuffeciſſet auctoritas, quæ etiam Synodos reliquas roborat. Neque ſane mirandum eſt, Romanum Epiſcopum, Eccleſiæ Principem, convocato Occidentalium Epiſcoporum Concilio, illud decreviſſe. Nam ſi Provinciæ ſæpe ſingulæ Concilia celebraverunt, eiſque auctoritas derogata non eſt: multo ſane magis hoc ille potuit cum omnibus circum ſe Epiſcopis, qui Paſtor Primus, & Eccleſiæ totius Pater, univerſaliſque Chriſtianorum*

mnium Judex eſſe comprobatur. Etſi vero Synodus illa totius Occidentis celebrata non fuerit, quam *Calecas* commemorat, hæc tamen additio jure fieri potuit a Romano Pontifice, conſpirantibus maxime ceteris Occidentis Eccleſiis, quarum nonnullæ etiam multo ante verba illa, *Filioque*, Symbolo inſeruerant, ut Hiſpanenſis & Gallicana.

Quærit poſtea *Manuel Calecas*, quid cauſſæ ſit quod iſta additio, cum ſit antiqua, Symbolo ab Orientalibus inſerta non fuerit? Reſpondet, *Quod debita ſubjectione ac riverentia Romano Pontifici, ejuſque Eccleſiæ, ſecundum Eccleſiaſticas Regulas reddita, nihil ex hoc in Fide vel diferre, vel contra ſentire putabantur, quod etiam vere ſic erat. Deinde neceſſe non fuit, rectam & congruam de Filio & Sancto Spiritu intelligentiam habentes, cum additione Symbolum legere. Satis enim erat etiam ſine iſta legendo, non eſſe contrariæ opinionis neque putare eos, qui cum iſta legerent, Fidei veritate excidiſſe, illiſque unitos eſſe. Nam & poſt antiquum ſchiſma cum rurſus utriuſque Eccleſiæ facta eſſet unio, Græcos Latini non coegerunt Symbolum cum additione legere, vel aliis Eccleſiaſticis ritibus more ſuo uti; ſed tria ſolum ab eis poſt factam unionem requiſita ſunt: Primum quidem ut Romani Epiſcopi memoriam in Diptychis, hoc eſt, in Canone Miſſæ facerent. Secundum, ut univerſalem Judicem Chriſtianorum omnium putarent, ei ſecundum antiquam Eccleſiæ conſuetudinem reve-*

reverentiam reddentes. Tertium, ut Romanam Eccleſiam in Eccleſiaſticis dogmatibus Matrem Fidelium atque Magiſtram ſana ſemper Fide eſſe crederent. Cetera locis ſuis manere permiſſa ſunt. Sed nunc quoque in Sicilia & ea quæ magna & antiqua Græcia dudum vocabatur, cum Græci plurimi inhabitent, Orientaliſque Eccleſiæ moribus & ritibus utantur: quia ſolum Romanæ Eccleſiæ ſubditi ſunt, non coguntur Symbolum cum additione legere.

Poſtea *Calecas* oſtendit eam additionem fuiſſe ab Eccleſia Græca in Concilio Lugdunenſi ſub *Gregorio X.* approbatam. „ Communis, *inquit*, Synodus, ſive noſtris ad „ obedientiam priorem remeantibus, ſive „ de hujuſmodi additione doceri cupientibus, ſive per ſeipſos veritatem agnoſcentibus, Lugduni congregata eſt, & aperte „ ante plures annos conſummata. Ubi aderat quidem Romanus Pontifex per ſeipſum „ illius convocationis auctor atque cum eo „ quadringenti ferme Epiſcopi. Aderant autem & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Legati, qui illorum implerent locum. Tunc „ igitur, ut patet ex illic ſcriptis commentariis, comuniter ab omnibus eſt declaratum, „ Antiquiſſimam Eccleſiæ traditonem eſſe, „ & ad Sanctæ Trinitatis ſaluberrimam & veram fidem ſumme neceſſariam, Græcorum „ Latinorumque Doctorum æqualiter dogmate & doctrina roboratam, Spiritum „ ſanctum ex Patre & Filio ſimiliter velut

„ ex uno principio procedere. Damnant au-
„ tem & anathematizant qui tunc convenere
„ omnes, qui deinceps duo principia cona-
„ rentur introducere ... Nuſquam vero illic
„ quiſpiam additioni indignari, ſed vera omnia
„ & voces, & actiones, quæ Lugduni tunc
„ geſta ſunt; & qui ex noſtris adfuerunt Con-
„ cilio, Legatique, & Epiſcopi confeſſi,
„ fœderati redierunt, agentes Deo gratias
„ cum omnibus pro communi Fidei concor-
„ dia, quæ in prædictis tribus Capitulis ſi-
„ mul conſenſerunt. Cumque animi conjun-
„ cti eſſent, coacti non ſunt Symbolum cum
„ additione legere; ſed ſicut temporibus
„ B. Maximi, ſic tunc ſe habebant res.

Ex his liquet, Florentinam Synodum in Definitione Fidei merito additionem illius vocis *Filioque* ad Symbolum approbaſſe his verbis: *Diffinimus inſuper explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam*. Legatur *Joſephi* Methonenſis Epiſcopi Reſponſio ad Libellum *Marci Epheſii* contra Florentinam Synodum, & *Gregorii* Protoſyncelli & Patriarchæ Apologia pro eadem Synodo.

F I N I S.

2007010

9-1-3

Digitized by Google